

**www.e-rara.ch**

**Catonis Disticha moralia cum scholiis D. Erasmi Roterod**

**Cato, Dionysius**

**Tiguri, anno 1553**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: AW 713

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-666>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]




1. Nicht Leemann-v. Eldk. Kat. 1. 79 es
2. Nicht Rudolphi; Ind. 1581, S. [9].
3. Rudolphi 15; Ind. 1581, S. [9].
4. Rudolphi 583. Kat. 3. 20 vi

} 2. 80 vi  
Kat.

28





AW 713

CATONIS  
DISTICHA MO-  
RALIA CVM SCHO-  
lijs D. Erasmi Roterod.

*Orthegmata Gracia sapientum interprete  
Erasmo.*

*Eadem per Ausonium cum scholijs Eras.*

*Mimi Publani, cum eiusdem scholijs, recogniti.*

*Institutum hominis Christiani carmine per eun-  
dem Eras. Roterod.*

*Gratis parænesis ad Dæmonicum.  
Additis aliquot sapientum dictis.*

*Adiecimus tandem Iani Anysij Sententias ad  
Inachum Mendossam Cardinalem.*

TIGVRI APVD ANDREAM GESNE-  
rum F. & Rodolphum Vuysenbachium.  
Anno M. D. LIII.





# ERASMVS ROTERO

DAMVS M. IOANNI NEVIO

Hondischotano, Lilianorū apud inclitum

Louanium Gymnasiarchæ. S.



**D**ISTICHA moralia vulgo Catonis in scripta titulo, Neui Theologorum decus, primū diligēter à mēdis repurgauimus, collata Planudis interpretatione: tamen si Graculus ille Romani carminis sententiā sepe numero nō assequitur. Addidimus et scholia, p- breuia quidē illa, sed aliquāto cōmodiora, ni fallor, ys cō mētarys, quibus duo quidā opusculū hoc contaminauerāt, quorū alter insulsissime rhetoricatur, homo ipsa infantior infantia, alter ineptissime philosophatur, uterq; ἄδελφ' πρὸς ἑπὸς loquitur. Porro cuius authoris sit hoc opus, et utrū vnius an pluriū, non admodū referre puto. Catonis ob id tantū arbitror dici, quod sententias habeat Catone dignas. Adiecimus his Mimos Publicanos, falso inscriptos Senecæ puerbia: atq; his quoq; castigatis (offendimus enim deprauatissimos) adscripsimus breuissima scholia, reiectis ys quæ perperā erāt admixta ex aliorū libris, tū appositis aliquot ex Auli gellij noctibus, et Senecæ cōtrouersijs. Sed interim clamabit vitiligator aliquis: Hui Theologū in tā friuolis versari nugis? Primū ego nihil fastidiedū duco quātūuis humile, qđ ad bonas ptine at literas, nedū hosce versus, tāta Ro. sermōnis mundicie, tāq; ad bonos mores cōducibiles. Quāq; cur me pudeat in



## EPIST. NVNCVP.

hoc genere pauculas horas collocare, in quo nō pauci scrīptores Græci, nō mediocri cū laude sunt versati? Nā extāt et hodie Theognidis sentētia, Phocilidis & Pythagoræ præcepta, nō abs re aurea dicta. Demq; si mihi indecorū esse volunt, emendasse hæc tā humiliā et explanasse, multo fœdius erit eadē et deprauata fuisse, et (quod ex ipsorum liquet cōmentarijs) ista tā puerilia non intellecta fuisse ab ijs viris, q; se nihil nescire putant. Nā Publij Mimōs q; conienat, quos Aul. Gellius lepidissimos, Seneca disertissimos vocat, cuiusq; sentētijs (ut idē testatur) nō piguit summos etiā rhetores æmulari? Addidimus et septē sapientū celebra dicta, et hoīs Christiani institutum, quod nos carmine dilucido magis, q̄ elaborato sumus interpretati, conscriptū antea sermone Britanico à Ioanne Coletō, quo viro nō aliū habet, mea quidē sententia, florentissimum Anglorū imperiū, vel magis pium, vel qui Christū verius sapiat. Hoc quicq; est laboris, tibi nūcupandū duximus mi Neui ornatissime, simul ut habeas quod tuis prælegi cures alumnis, quos nulla neq; literarū, neq; morū barbarie sinis infici: simul ut hoc qualecūq; monumentū nō sinat nostrā necessitudinē intermori. Non me clam est q̄ sit hoc plus q̄ leuidense munusculum impar magnitudini tuæ, q̄ cū eruditione rara, tū moribus nō minus integris q̄ festiuis, et ornas ornatissimū Theologorū ordinē, et illustrissimā Louaniensiu scholam illustras. Verū confidebā fore, ut optimo viro libellū quantumuis pusillū ipsā commendaret utilitas. Bene vale, Louany. Anno M.D.XIII. Cal. Augusti.

## LIBELLVS ELEGAN

TISSIMVS, QVI INSCRIBITVR CA

to, de præceptis vitæ communis, Erasmo

Roterod. castigatore &amp; interprete.



VM animaduertere quàm plurimos hoïes grauitè errare in uia morũ, succurrendum, & consulendum eorũ opinioni fore existimaui, maxime ut gloriose uiuerent, & honorẽ contingeret. Nũc te fili charissime docebo quo pacto mores tui animi cõponas. Igitur præcepta mea ita legas, ut intelligas. Legere enim & non intelligere, negligere est.

Itaque deo supplica.

Parentes ama.

*Prima pietas est in deum.**Proxima in parentes.*

Cognatos cole.

*Tertia in reliquos cognatos. Supplicamus deo sacrificijs. Amamus parentes, dum obseruamus, & obsequimur. Colimus cognatos officijs & consuetudine vitæ.*

Magistrum metue.

*Olim dabatur ingenuis pueris pædagogus, quẽ uerentur. Hunc magistrũ uocat. Et animaduerte uerborũ proprietatem. Deo supplicandum est. Parentes amandi,*

C A T O N I S

Cognati colendi. Magister metuendus, quippe seruus plerunq<sup>3</sup>, iuxta veterum consuetudinem.

Datum serua.

Quod tua creditū est fidei, id serua veluti depositum.

Foro te para.

Id est, his artibus te exerceas, ut possis in foro versari, hoc est in causis agendis. Nam hic erat olim primus gradus ad honores summos. Legi in quibusdā vetustissimis codicibus (Foro pare) id est accommoda te rebus presentibus, quemadmodum dicimus, uti foro. Cum hoc interpretamento consentit Græcus Planudes, neque dubium est, quin hæc sit germana lectio.

Cum bonis ambula.

Cum optimis habeto consuetudinē. Nā primum talē te iudicabūt, cum qualibus cōspexerint te consuetudinē agere: deinde bonorum conuictu redderis melior.

X Ad cōsiliū ne accesseris anteq̄ uoceris.

Ne ingeras te ipsum alienis negocijs, sed accersitus accedas.

Mundus esto.

Id est, neque sordidus, neque luxuriosus, sed eleganti munditie.

Saluta libenter.

Conciliat enim ea comitatus & affabilitas multorum beneuolentiam, & alit partem.

Maiori cede.

Id est, noli certare cum potentioribus.

Minori



## Minori parce.

*Id est, noli seuire in eos qui sunt inferiores, sed illis concede nonnihil.*

## Rem tuam custodi.

*Ne profundus temere facultates tuas, ne vel turpiter egeas, vel turpius rem pares.*

## Verecundiam serua.

*Id est, serua te incontaminatum ac purum ab inquinamenti libidinum. Castum enim verecundum dicitur. Est autem etatis flos his periculis obnoxius.*

## Diligentiã adhibe. τὴν ἀκριβείαν προσέχε.

*Sensus requirit τὴν ἀκριβείαν. Nunc reddit hunc sensum, sis attentus diligentia. Cura in omni re plurimum valet. Negligentia semper comitem habet infelicitatem.*

## Libros lege.

*Nam ex his cito discitur, quod longo vite usu vix assequi queas.*

## Quod legeris memento.

*Nam quidam onerant se lectione, alia super alia ingrentes, neque quicquam insculpunt memoriae.*

## Familiam cura.

*Domestica negotia tibi curanda sunt, non aliena.*

## Blandus esto.

*Id est, comis in congressu.*

## Iraisci ab re noli.

*Ne sis morosus. Nam omnino non commoueri, stipitis est potius quam hominis.*



C A T O N I S

Neminem irriferis.

*Est enim argumentū arrogantis stultitiæ. Vel,*  
Miserum ne irriferis.

*Sic enim quidam codices habent. Hoc est, Animi vi-  
tia rideri merentur: calamitas misericordiã meretur po-  
tius quàm nasum.*

Mutuuum dato. Cui des uideto.

*Est quidem aliquando danda pecunia mutuo, sed nõ  
quibuslibet, sed reddituris bona fide, sed dignis officio,  
deniq; ijs quibus non graueris & dono dare.*

Iudicio adesto.

*Ad sunt aduocati, & id olim erat officium precipu-  
um in amicos, adesse in iudicijs.*

Conuiuare raro.

*Sæpius vocare ad conuiuium, exhaurit substantiã:  
sæpius ire ad conuiuium, sordidū est. At rarius utrunq;  
facere, humanitatis est.*

Quod satis est dormi.

*Hoc est, non ad uoluptatē, sed necessitatem naturæ.*

Iusiurandum serua.

*Non est temere iurandum, quod autem iuraris, præ-  
standum est, nisi scelus sit quod iuraris.*

Vino te tempera.

*Esto moderatus in vino, vel abstine à vino. Nam ado-  
lescenti dare vinum, est oleum igni addere.*

Pugna pro patria.

*Pugnandum*

*Pugnandum est, non pro quavis re, sed pro defensione patriæ. Nam Carum more, mercede pugnare turpissimum est, & plus quàm gladiatorum.*

**Nihil temere credideris.**

*Id est, ne facilis sis ad credenda quavis, quæ dicuntur.*

**Tu te consule.**

*A teipso pete consiliũ, qui te tuãq; optime nosti. Aut,*

**Tuto consule.**

*Id est, caue à consilijs periculosis, tuta consilia seque-  
re. Nam duplex est lectio.*

**Meretricem fuge. Literas disce.**

*Aetas enim prima studio literarum optime coercetur à scortis.*

**Nil mentiri debes.**

*Turpe in puero ingenuo omne mendacium. Planudes legit, velis pro debes, & magis arridet.*

**Bonis benefacito.**

*Beneficia non sunt conferenda nisi in bonos, alioqui pereunt.*

**Maledicus ne esto.**

*Id est, à conuitijs tempera, neq; carpas vitã alicuius.*

**Existimationem retine.**

*Bonam famam tuere, ne perdas: perit enim facile, at non facile sarcitur.*

**Aequum iudica.**

*Id est, nõ ad lucrũ aut ad gratiã, sed ad regulã equitatis.*

C A T O N I S

Parentes patientia uince.

*Ferendi sunt parentes, etiam iniquiores.*

Beneficij accepti memor esto.

*Nam dati pulchrum est obliuisci. Accepti meminisse decet.*

Ad prætorium stato.

*Multa enim discuntur in agendis causis.*

Consultus esto.

*Id est, calleas scientiam et morem iuris, ut possis amicis opitulari.*

Vtere uirtute.

*Non viribus, neq; dolo.*

Iracundiam tempera.

*Ante monuit non esse irascendum sine causa. Nunc admonet iustam etiam iram moderandam esse.*

Trocho lude. Aleas fuge.

*Trochus conuenit pueris. Alea infamis erat & apud gentiles. Nunc principum Christianorum lusus est, imò quorundam etiam sacerdotum delitia.*

Nihil ex arbitrio uirium feceris.

*Tyrannicum enim est, respicere quantum possis, non quantum liceat.*

Minorem te non contempseris.

*Ne fastidias inferiorem te, quod est elati, nō cordati.*

Aliena concupiscere noli.

*Esto contentus tuis.*

*Coniugem*



Coniugem ama.

*Vt omnium fortunarum sociam.*

Liberos erudi.

*Filios castiga & institue.*

Patere legem quam ipse tuleris.

*Quam conditionem præscribis alijs, eadem utere ipse  
in alios.*

Pauca in conuiuio loquere.

*Vt sit alijs etiam loquendi locus.*

Illud stude quod iustum est.

*Quod turpe factu est, id ne affectes.*

Amorem libenter ferto.

*Odiū omnibus modis fugiendum est. Amor ample  
Etendus etiam si quis parum dignus est qui redametur,  
tamen amari te patere.*

*DISTICHA DICTA CATONIS.*

Si de<sup>o</sup> est anim<sup>o</sup>, nobis ut carminadicūt,  
Hic tibi p̄cipue sit pura mēte colēdus.

*Vulgus existimabat deū placari victimis pecudū, re-  
busq; corporeis. Verum cum deus ipse sit animus, hoc est  
mens, nō corpus, et consentaneū est simile gaudere simili,  
nimirū potissimū colendus est puritate mentis. Quin et  
hodie vulgus Christianorū corporeis quibusdā ceremo-  
nijs colit deū, cū gratissimus cultus sit animi pietas. Tales  
enim adoratores querit pater, qui in spiritu adorēt, cū ip-  
se sit spiritus. Nulla gratior pietas diuis, q̄ si uitā illorum  
imiteris*



C A T O N I S

imiteris, hoc est, tolerantia, mansuetudinē, castimoniā.

Atqui hæc animi sunt. Animus est deus: fac quantum potes à corpore te abducas, et ad illum quantum potes accedas, & gratissimū immolaris sacrificium. Pura mente) Nam vulgus lotis manibus ac pedibus ad sacrū accedebat. Tu mentē purga. Huius sordes deū offendunt, qui videt ea quæ sunt in animo, non in corpore. Si deus) Si, hic non dubitantis est, sed ratiocinantis. Vt carmina) Nam Vergilius in sexto, deum spiritū & mentem vocat. Præcipue) Vt intelligas non damnari cultum corporalem, sed hunc tamen, nempe animi, esse deo gratissimum.

Pl<sup>o</sup> uigila semp, nec somno dedit<sup>o</sup> esto.  
Nam diuturna quies uitijis alimenta ministrat.

Sensus est: Cū vita vigilia sit, iuxta Pliniū, cauēdū est, ne maximā vitæ partē somno perdamus, præsertim cū ē somnolētia vitia multa nascantur, et corporis, et animi.

Virtutem primam esse puta, compesce  
re linguam:

Proxim<sup>o</sup> ille deo, q̄ scit ratione tacere.

Prima, id est summa maximaq; virtus est moderari linguam, ne quid temere loquaris. Deus enim qui sapientissimus est, raro loquitur, & non nisi necessaria, quū nihil non videat, nihil non intelligat. Itaq; proximus est Deo, qui sapienter & animi iudicio nouit tacere.

Sperne repugnādo tibi tu cōtrari<sup>o</sup> esse.  
Conueniet nulli, qui secū disidet ipse.

*Qui secum*

*Qui secum ipse pugnat, nec sibi constat, huic cum alijs conuenire non potest. Hoc est, qui moribus est inæqualibus, nec ullo certo vitæ instituto, is non est aptus ad aliorum consuetudinem.*

Si uitã inspicias hoĩm, si deniq; mores,  
Cũ culpēt alios, nemo sine crimine ui-  
uit.

*Mortales aliorũ notāt vitia, sua nemo videt: quĩ nul-  
lus vitijs careat, si quis propius vitã ac mores excutiat.*

Quæ nocitura tenes, quamuis sint cha-  
ra, relinque.

Vtilitas opibus præponi tẽpore debet.

*Aliquoties expedit in loco res charissimas abicere, si  
periculum afferant, veluti gemmas & aurum, quò vi-  
ta sit in tuto: aut voluptates, quò valetudini cõsulamus.  
Non enim voluptates spectari debent, sed utilitas.*

Cõstans & lenis, ut res expostulat, esto.  
Temporibus mores sapiens sine crimi-  
ne mutat.

*Pro tempore licet alios atq; alios mores sumere, ut mo-  
do grauis sis, modo lenis, hoc est placidus ac remissus, pro  
re, proq; loco. Vide num legendum sit leuis pro lenis, quod  
magis respondet ad constans: ut sit sensus, Aliquando  
persistendum in sententia, aliquando mutandum consi-  
lium pro tempore. Porro versus constabit, si legas:  
Constans & leuis, ut res cunq; expostulat esto.*

C A T O N I S

*Neg dubitem affirmare hanc germanam esse lectionē.  
Tameſi Planudes priorem ſequitur ſententiam, quippe  
qui verterit in hunc modum: (ἀπαίτεῖ  
Εμβριδὺς ἔσο καὶ πρᾶϋς ὡς γὰρ τὰ πρᾶγματ'  
Id eſt, Severus eſto ac placidus, prout res poſtulant:  
Ἐγὼς γὰρ τὸς καίρου ὁ σοφὸς μεταβάλλει ἀμ' ἑ-  
πιώσ.*

Nil temere uxori de ſeruis crede q̄rēti:  
Sæpe etenim mulier quem coniunx di-  
ligit, odit.

*Illud uxoribus ſerme peculiare eſt, ut maritos inſtigēt  
in ſervos. Vnde monet, ne temere fidem habeāt huiuſmo-  
di querelis.*

Cumq̄ mones aliquem, nec ſe velit ip-  
ſe moneri.

Si tibi ſit charus, noli deſiſtere cœptis.

*Non ſatis eſt leuiter admonere peccantem amicum:  
urgendus eſt, inſiſtendum, ut vel improbitate vincas, ſi  
quid erit, quod ad famam illius aut ſalutem pertineat.*

Cōtra uerboſos noli cōtendere uerbis:  
Sermo dat̄ cūctis, anī ſapientia paucis.

*Si cum cordatis agas, non eſt opus multis uerbis: Si  
cum ſtulto, fruſtra contendis, propterea quod ſtultitia  
verboſiſſima ſit.*

Dilige ſic alios, ut ſis tibi charus amic⁹.  
Sic bonus eſto bonis, ne te mala damna  
ſequantur

Sic



*Sic amicis utere ut ipse tibi sis proximus. Sic alijs benefac, ne tibi ipsi noceas. In priore versu est venusta red-  
ditio similitum, in dilige & amicus: in secundo contrario-  
rum, bonis & mala.*

Rumores fuge, ne incipias novus au-  
thor haberi.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse lo-  
quutum.

*Ne quid in vulgus sparseris, propterea quod rumor  
sæpenumero in eius caput recidit, à quo profectus est. Si  
rumor nihil habet periculi, tamen nihil nocet siluisse: si  
quid habet, nocet loquutum esse.*

Ré tibi pmissam certo pmittere noli.  
Rara fides, ideo quia multi multa loquuntur.

*Noli certo promittere cuiquam alieni promissi fidu-  
cia. Quod in te situm est, id prestare potes: alienam fidem  
prestare non potes. Et vulgus hominum ad pollicendum  
facillimum, in prestando sæpe fallit.*

Cum te quis laudat, iudex tuus esse memeto.  
Plus alijs de te, quam tu tibi credere noli.

*Ne te ipsum estimaris aliorum laudatione, sed tua ip-  
sius conscientia. Te ipsum interroga qualis sis, et si animus  
tibi responderit te longe esse alium quam hic aut ille te fa-  
cit, magis credere debes tibi ipsi, cui notior es quam alijs.*

Officium alteri multis narrare memeto.  
Atque alijs quam tu benefeceris, ipse fileto.

*Beneficij*



C A T O N I S

*Beneficij accepti meminisse oportet, obliuisci dati. Qui dat beneficium, eius est dissimulare se dedisse, ne commemorando videatur opprobrire. Eius qui accepit est passim predicare, ne videatur ingratus & immemor.*

Multorū cū facta senex & dicta recēses,  
Fac tibi succurrāt iuuenis q̄ feceris ipse.

*Senes qui multa viderūt et audierūt, multorū dicta factaq; solēt referre. Sed curandū est, ut ita nos geramus in iuuetute, ut in senectute succurrat nobis nō solū quid alij recte dixerint aut fecerint, verumetiam nosipsi.*

Ne cures si q̄s tacito sermone loquat̄:  
Consciū ipse sibi de se putat oīa dici.

*Cum videris quosdam inter se secreto colloqui, ne statim suspiceris eos male de te loqui. Nam id signum est hominis male sibi conscij.*

Cū fueris felix, q̄ sunt aduersa caueto:  
Nō eodē cursu respōdēt ultima primis.

*In rebus secundis, ne quid accidat aduersi, cauendū est. Solet enim fortuna sapius verti in diuersum, & letis inuitis addere tristem exitum. Ergo quum res secundae sunt maxime, tum maxime meditandū est, quo pacto aduersam fortunā feras: ne si inexpectata venerit, et improvisum te oppresserit calamitas, succumbas.*

Cum dubia & fragilis sit nobis uita tributa,

In morte alteri<sup>9</sup> spē tu tibi ponere noli.

*Legendū est hoc heredipetis, & qui testamentis inhiant.*

hiant. Fit enim sæpenumero, ut qui mortem alterius expectabat, prior ipse moriatur, etiamsi iunior, aut robustior fuerit. Nam ipsa hominis vita fragilis & incerta res est, & quouis casu abrumpitur.

Exiguum munus cum dat tibi pauper  
amicus.

Accipito placide, plene & laudare memento.

*Munera sunt æstimanda non suo pretio, sed animo donantis. Ita legimus summos principes aquam manu caua haustam, & malum oblatum, summa cum alacritate, perinde ut maximum munus accepisse. Accipito placide) alacri vultu, ut ostendas tibi gratum esse. (& plene) id est, non maligne, sed candidè, ut præ te feras pro exiguo munere te multum debere.*

Infantē nudum quum te natura crearit,  
Paupertatis onus patiēter ferre memeto.

*Quum natura nudos produxerit, satis intelligere possumus diuitias alienas esse, neq; secundum hominis naturam. Si membrū perdis, est fortasse quod doleas, aliquid tui decessit. Sin opes auferuntur, aut non contingunt, non valde cruciari. Siquidē in his quæ vere sunt hominis, nihilo plus habent reges, quàm tu pauper. Vis scire quid vere tuum sit? Cogita quid habueris, quum nascereris.*

Ne timeas illā, quæ uitæ est ultima finis:  
Qui mortem metuit, quod uiuit, perdit id ipsum.

*Qui mortem timet, non solum non effugit mortē, sed  
in super hoc ipsum vita quod datur, perdit. Nam anxie  
vivere, non est vivere.*

Si tibi pro meritis nemo respondet ami-  
cus,

Incusare deum noli, sed te ipse coerce.

*Nihil est acerbius, quam amicus ingratus. Quod ta-  
men si acciderit, non est imputandum Deo, tanquam il-  
lius acciderit culpa. Quin potius te ipsum coerce, ne de-  
nuo beneficias ingratis. Quidam enim, si beneficienti-  
bus fortuna non respondeat, superos incusant, dicentes  
eos non habere rationem recte factorum, quum eius ac-  
ciderit culpa, qui sine delectu contulit beneficium.*

Ne tibi quid desit, quę sitis utere parce.  
Ut quę quod est serues, semper tibi deesse  
putato.

*Ut utere parce) id est, modice, non profuse (quę sitis) id  
est partis. Et ut serues quod habes, semper imaginare ti-  
bi deesse, ut semper aliquid addas. Sera autem (ut inquit  
Hesiodus) in fundo parsimonia est.*

Quod præstare potes, ne bis promise-  
ris ulli.

Ne sis uentosus, dū uis urbanus haberi.

*Quod nō possis efficere, ne semel quidē est promitten-  
dum, ne temere facias. Porro quod præstare possis, id ite-  
rum atq; iterū promittere iactantię est, nō humanitatis.*

Molesta



*Molesta est verbosa promissio, molestior exprobratio.*

Qui simulat uerbis, nec corde est fidus  
amicus.

Tu quoque fac simile, sic ars deluditur  
arte.

*Erga eum qui fucō utitur, tu item contra utere fucō: Et iuxta prouerbiū, Cretica contra Cretensem. Satius est nonnunquam retinere simulatum amicum, q̄ reddere apertum inimicum. Id enim fiet, si ostenderit te sentire fucum.*

Noli homines blandos nimium sermo  
ne probare.

Fistula dulce canit, uolucrum dum de-  
cipit auceps.

*Semper suspecta sit tibi blandiloquentia. Nec aestimes homines ex bonis dictis, sed ex benefactis. Insidiatur tibi, quisquis admodum blandus est. Memento sic capi et illuci auces, uidelicet imitatione uocis. Et assentatione maxima pars hominum capitur, dum adulator sese ad omnes affectus attemperat.*

Si tibi sint nati, nec opes, tunc artibus  
illos

Instrue, quo possint inopem defendere  
uitam.

*Artē, ut habet prouerbiū, non solum quæuis terra, sed quæuis etiam alit fortuna. Unde certissimū uaticium*

est ars, quae quocumq; terrarum venias, defendit ab egestate. At nunc vulgus liberos suos diuitum aut principum ministerijs dedicat, ubi duo simul maxima discant mala, luxum, & otium. Porro quod hic praecepit pauperibus esse faciendum, id ego suaferim diuitibus quoq; ut liberos suos inbeant artem aliquam discere, unde geminum commodum consequantur. Primum, prima illa aetas artificio occupata, longe paucioribus inficietur vitijs. Deinde si fortuna abstulerit opes, non erit cur vel mendicent, vel ad sordidas aut fœdas artes adigantur, puta turpe ministerium, aut militiam.

Quod uile est charum, quod charum est uile putato.

Sic tibi nec parcus, nec auarus habeberris ulli.

Quod vulgus magnificat, tu contemne. Quod vulgus negligit, tu magnifacito. Ita fiet, ut nec tibi sis parcus: Audebis enim uti quae non magnificas. Neq; cuiquam videaris auarus, quum non expetes auide, neq; seruabis atente quae cupiunt illi. Vulgus plurimi facit diuitias, minimi facit probitatē et eruditionem. Tu inuerte aestimationem. Res autem cuiq; tales sunt, qualis est de his opinio. Vulgus lautam rem putat pauonem aut rhombum: Tu contra vilem rem putato, & puta rem esse lautissimam ouum gallinae recens, lactucam, pullum gallinaceum. Ita nec tibi videberis sordidus, quum habeas lauta tuo iudicio, nec aliorum expetes lautitias, quae tibi viles sunt.

Quae

Quę culpāre soles, ea tu ne feceris ipse.  
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

*Turpe est cōmittere te, quod doces alios non esse committendum. Vita turpis abrogat auctoritatem docenti.*

Quod iustum est petito, uel quod uideatur honestum.

Nam stultum est petere quod possit iure negari.

*Quod inhonestum est, à nemine petendum est. Nullus enim debet cuiquam in re turpi morem gerere. Aut sic, (Quod iniustum est) id est, quod non debetur, iure negari potest. Ergo non à quouis petas, sed ab eo cuius officium est prestare quod petis: neque quiduis, sed quod cum honestate coniunctum est. Nam id petitur aliquando & ab his, qui non debent.*

Ignotum tibi nolito præponere notis.  
Cognita iudicio constant, incognita casu.

*Ne facile commutes nota cum ignotis, puta amicū, vel rem, vel uitā genus. Notis enim commodius uteris, de quibus iudicare potes. Quę si bona sunt, rectius uteris: si mala, facilius tolerabis. Quandoquidē iuxta Plautum, Nota mala, mala non sunt: Ignota vero cuiusmodi futura sint, incertum est. Fit autem sæpenumero, ut quę in expetendo putaris prima, in experundo repudies.*



Cū dubia incertis uersetur uitapericlis,  
Pro lucro tibi pone diem quicumq; la-  
boras.

*Planudes Græcus legit in certis, ut sint duæ dictiones.  
Sic enim vertit:*

Τὸ βίον ἀμειβόμενον φανεροῖς ἢ πύμασι ὄντος,  
ἢ ἄς μοχθῶν πρὸς κέρδος, ὅπερ ἴης ἡ γὰρ.

Cū igitur vita per se incerta, uersetur in periculis in-  
certis, unumqueng; vitæ diē in lucro deputa, unusquisq;  
enim dies poterat esse ultimus, et incertū erat an tibi con-  
tingeret. Ergo in tot vitæ periculis quicumq; dies nō eripi-  
tur, is in lucro est imputandus. Quicumq; laboras id est,  
quicumq; sollicitus es, et angeris huius vitæ malis. Tamet-  
si, ut dixi, non ignoro Planudē secus exposuisse. Sed non  
est sententia illi per omnia sequi. Nam mihi magis pro-  
batur, ut legamus incertis unica dictione, ad hunc ma-  
dū (Cū vita dubia uersetur) id est, iactetur (incertis pe-  
riclis) id est casibus. Nā pericula hoc minus à nobis uitæ  
ri possunt, quod incerta sunt. Vitasti naufragiū, nō vita-  
sti ruinam: vitasti bellū, incidis in latrones: vitasti pestē,  
morderis à vipera. Mille periculis obnoxia est hominis  
vita, atq; his quidem incertis, & ob id inuitabilibus.

Vincere cū possis, interdū cede sodali.  
Obsego quoniā dulces uincunt amici.

*Nihil hoc disticho elegātius fingi potuit. Obscundan-  
dū aliquoties amicis, et de tuo iure cōcedendū. Siquidem  
ea facilius ac morigeratio retinet amicos in amicitia. Cō-  
tra quidā*

tra quidã dũ obstinate rixantur de lana caprina, malũ  
amicitiã rescindere, q̃ vlla in re obsequi animo amici.  
Ne dubites, cum magna petas, impen-  
dere parua.

His etenim rebus coniungit Gratia  
charos.

*Amicitia cõstat officijs mutuis, et iuxta prouerbiũ, ma-  
nus manũ fricat. Gratiã hic vocat deã beneuolentiã.*

Litem inferre caue cum quo tibi gratia  
iuncta est.

Ira odium generat, concordia nutrit a-  
morem.

*Cauendũ est ne per inimiciã lis incidat cum amico,  
propterea quod ex iurgio residet in animis vestigia qua-  
dam, quæ beneuolentiã vertunt aliquoties in odiũ. Et  
non optime coire solet semel rescissa concordia. Ergo mo-  
rositas omnis & asperitas debet abesse ab amicitia.*

Seruorum ob culpam cum te dolor ur-  
get in iram,

Ipse tibi moderare, tuis ut parcere pos-  
sis.

*Ne punias seruũ aut discipulũ, quãdiu senseris te ira  
commotũ. Pessimus enim auctor rerum gerendarũ ira:  
sed prius tẽperes animo tuo, vt sedata iracundiã, vel igno-  
scas, vel mitius punias. Ita philosophus quidã, Punire te,  
inquit seruo, ni iratus essem. Et Plato sublato in seruũ*

*baculo, rogatus quid ageret, Ego, inquit, castigo hunc intemperantem, seipsum significans ira concitum.*

Quem superare potes interdum uince ferendo.

Maxima enim morum semper patientia uirtus.

*Maximi animi est, cum possis vincere, pati tamen ut vincaris, & negligere aduersarium. Hac uirtute inter mortales non est alia praestantior.*

Conserua potius quæ sunt iam parta labore.

Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

*Facilius ac tutius est seruare quod tuo labore questum est, quam sarcire quod profusione diminueris ac detriueris. Cum enim laboratur integra re, facile defenditur inopia. Verum cum laboratur in damno sarciendo, increfcit & obruit nos egestas.*

Dapfiliis interdum notis, charis, et amicis, Cum fueris felix, semper tibi proximus esto.

*Cum tu felix hoc est lauta fortuna ( fueris interdum dapfiliis ) id est, liberalis. Notis, charis, & amicis. ) Notis ut vicinis: charis, quos diligis: amicis, ut cognatis. Semper tibi proximus esto. ) Interdum in illos sis beneficus, in te semper. Et ita amicus sis amicus ut tibi ipsi sis amicissimus.*



## LIBER SECVNDVS.

**T**elluris si forte uelis cognoscere  
 cultus,  
 Vergilium legito: quod si mage nosse la-  
 boras  
 Herbarum uires, Macer tibi carmine di-  
 cet,  
 Si Romana cupis & Punica noscere  
 bella,  
 Lucanum quæras, qui Martis prælia di-  
 cet.  
 Si quid amare libet, uel discere amare le-  
 gendo,  
 Nasonem petito: fin autem cura tibi  
 hæc est,  
 Ut sapiens uiuas, audi quo discere pos-  
 sis,  
 Per quæ semotû uitij traducitur æuû.  
 Ergo ades, & quæ sit sapientia disce le-  
 gendo.

*Hoc est, Ex alijs poetis alia licebit cognoscere. Vergi-  
 lius in libris Georg. docet Agriculturã. Macer tradit vi-  
 res herbarum: quanquã alius quispiam fuit hic Macer,  
 quàm is quẽ habemus vulgo, ni fallor. Lucanus narrat  
 Romanorum ciuilia bella: ubi legendum arbitror ciuica*

C A T O N I S

pro Punicis. Nihil enim de Punicis bellis scripsisse legitur  
 Lucanus. Ovidius tradit artem amandi, & in Elegijs do-  
 cet amores. Quod si cupis artem & rationem recte bea-  
 teq; viuendi cognoscere, hunc librum legito. Is te docebit  
 non vulgares artes & nugas, sed quo pacto vitam exi-  
 gas semotam, id est, liberam & immunem à vitijs.

Si potes, ignotis etiã prodesse memeto.  
 Vtilius regno, meritis acq̄rere amicos.

*Non solum in amicos oportet esse beneficium, verum  
 ignoti quoq; conciliandi sunt, ac deuinciendi beneficentia,  
 si modo possis prodesse. Vtilius enim est quàm pluri-  
 mos amicos parare (meritis) id est, benefactis, quàm pa-  
 rare regnum. Regnum enim eripi potest, amici succur-  
 runt eiecto: & firmiores sunt quos beneficio adiunxeris,  
 quàm quos potestate premas.*

Mitte arcana dei, cœlumquẽ inquirere  
 quid sit:

Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia cu-  
 ra.

*Iuxta Socratis sententiã, quæ supra nos nihil ad nos,  
 admonet vt omisso studio naturalis philosophiæ, ea cure-  
 mus, quæ ad vitam humanã pertinent, hoc est ad mores  
 componendos, et animum malis purgandum affectibus.*

Linq̄ue metum leti, nam stultũ est tem-  
 pore in omni.

Dũ mortẽ metuis, amittis gaudia uitæ.

*Eandem*

Eandem sententiam legis in priori libro. Pro amittis arbitror legendum amittere. Qui mortis metu semper anxius uiuit, stulte facit. Primū enim non uitat id quod timet. Deinde si quid habet hęc vita iucunditatis, eam suo uitio perdit.

Iratus de re incerta contendere noli.  
Impedit ira animum, ne possit cernere uerum.

Pyrrhus admonere solitus est tyrones, ne irascerētur: at multo magis oportet cauere iracundiā eos, qui dispu- tant. Melius enim iudicat, qui uacat ira. Contra, ira ob- stat animi iudicio.

Fac sumptum propere, cum res desyde- rat ipsa.

Dandum etenim est aliquid, cum tem- pus postulat aut res.

Equidem opinor prompte legendum, pro propere. Sum- ptum, qui necessario faciendus est, libenter & prompte facito, ne videaris grauatim facere. Nam aliquid omni- no insumendum est, non passim, sed quoties tempus aut causa postulat, hoc est, in nuptijs, in festis, item in amicos. Planudes longe alium sensum expressit Græce:

καὶ διαπάλαις ἤν μείζοσιρ εὔτε τὰ πράγματ'  
ἀπαιτῆς (ὄντως.

πρὸς ἢ τὰ πράγματα καιρῶν κατανάλισκε δε-  
Sentit amplos etiam sumptus faciendos, ubi res postulat.

Ceterum



*Ceterum ad res gerendas non temere insumendum tempus, quod huius sumptus sit pretiosissimus.*

Quod nimium est fugito, paruo gaude re memento.

Tuta mage est puppis, modico quæ flumine fertur.

*Humilis fortuna tutior est, quàm excelsa: ut navis tutior, quæ in paruo est flumine, quàm quæ in pelagi fluctibus natat.*

Quod pudeat, socios prudens cælare memento.

Ne plures culpent, id quod tibi displicet uni.

*Ne indicaveris amicis, aut ne committas testibus alijs cuius te facti pudeat: ne plures reprehendant, si scierint id quod uni tibi displicet. Si solus tibi conscius fueris, hoc est, si quid peccas, pecces absq̃ arbitris. Nec hanc sententiam intellexit Græcus Plaudes. Sic enim vertit:*

Γὰρ ὁ Θείους σοῖς αἰχῶς πρῆξις μάλα κεύθε  
Μὴ μὲ μόνον τοῦ σε πλείσοι ὅσε μῆνον ἀνιά.

*Id est, Quod amicis tuis probrum sit allaturum, valde occulta, ne in hoc reprehendant te plurimi, quod te solum cruciat.*

Nolo putes prauos homines peccata lucrari.

Temporibus peccata latent, & tempore parent.

Ne

*Ne putes nocentes lucrari, hoc est, impune auferre sua peccata. Latent quidem, sed ad tempus: postea parent, id est, manifestantur. Tempus enim & calat & aperit omnia. Parent autem dictum est pro apparent.*

**Corporis exigui uires cōtemnere noli.  
Cōsilio pollet, cui uim natura negauit.**

*Noli contemnere inimicum, licet sit pusillo corpore. Nam sæpe quod corporis viribus detractum est, natura addit ingenij viribus. Quanquam hæc sententia latius patet: nempe hominem non æstimandum proceritate roboreq; corporis, sed animo potius.*

**Quem scieris non esse parem tibi, tempore cede.**

**Victoré à uicto superari sæpe uidemus.**

*Si senseris tibi rem esse cum potentiore, cede ad tēpus, & sine penes illum esse victoriã. Nam incidit sæpenumero opportunitas, ut mutatis vicibus rerū, vincat, qui uictus fuerat, & superior sit, qui fuerit inferior. Conuenit cum illo: Vir fugiens & denuo pugnabit. Quidam stulta pertinacia statim aut vincere volunt, aut pessundari.*

**Aduersus notū noli contēdere uerbis.  
Lis minimis uerbis interdum maxima crescit.**

*Ut ante legisti, contra verbosos non esse contendendū uerbis, ita cum familiaribus rixandum non est, quod summa discordia soleat nasci ex uerbulis leuissimis.*

*Quid*

Quid de<sup>o</sup> intēdat, noli pergrere forte.

Quid statuat de te sine te deliberat ipse.

*Nec hanc sententiam recte vertit Planudes, vertit enim ad hunc modum:*

Κληδίοσι μὴ ἵχνησε, τί βόλετ; εἰς σὲ τὸ θεῖον.

Ὅτι γὰρ ὄρισσε σὴ πέρη καὶ σέο νόσφι τελέσσει.

*Quaquam pro κληδίοσι suspicor legendum κλήροισι. Et tamen aliud est perficere, aliud deliberare aut statuere. Verus autē sensus hic est: Ne sortilegijs ac malis artibus inquiras, quid de te futurū sit. Quandoquidē id deus sciri non vult. Neque enim te in consilium adhibet, cum aliquid decernit de te. Quod si te vellet id scire, mirum accerseret te in consilium.*

Invidiam nimio cultu vitare memēto:  
Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

*Et hanc sententiam non recte vertit Planudes: Sic enim reddidit:*

Βασκανίῳ φυλακῆν πάσῃ τὰ μέγιστα φυλάσσει

Ἡ κῆρ μὴ βλάπτῃ σε, φέρει γέ μὲν ὄσι βαρεῖα.

*Planudes enim (nimio cultu) vertit, maximo studio. Porro germanus sensus sic habet: Ne nimio splendore strepitūq; vita conflaueris tibi hominum odium. Qui tamen si non possint te ledere, tamen molestum est vivere obnoxium odio multorum. At per se iucundum est omnibus esse charum, etiamsi nihil utilitatis inde capias. Qua-*  
*quam*



quam hic ablatiuus Nimio cultu, non refertur ad verbum vitare, sed ad inuidiam, vt subaudias constat, aut ex nimio cultu.

Esto animo forti, cū sis damnatus iniq̄.  
Nemo diu gaudet, qui iudice uincit iniquo.

*Ne abicias animum, si aduersarius vicit te præterius. Nec enim diu exultabit, sed quod perperam pronunciauit iudex, id deus reiudicabit.*

Litis præteritæ noli maledicta referre.  
Post inimicitias iram meminisse malorum est.

*Post reditū in gratiã, non oportet litis antea acta comicia refricare, sed obliuisci superiorū iniuriarū. Finita enim simultate, debet et irarum esse finis: secus autē facere malorum est. Græce vocāt μνησιν αὐτῶν, verbo vī delictet infami, præteritorum malorum memoriam.*

Nec te collaudes, nec te culpaueris ip̄e.  
Hoc faciunt stulti, quos gloria uexat inanis.

*Teipsum nec vituperes, nec laudes: utrūq̄ enim videtur affectantis inanē gloriã. Nã et qui se vituperat, ob id facere videtur, vt refellatur ab alijs, & diuersa audiat.*

Vtere quæsitis modice, cum sumptus abundat.

Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

Sera in *frando* parsimonia. Dum adhuc multum *si-*  
perest, incipe parcius uti: Citius enim effluunt parta,  
quàm colliguntur.

Inspiciens esto, cum tempus postulat  
aut res.

Stultitiam simulare loco prudētia sum  
ma est.

Aliquando deponendum est *superciliū*, et remitten  
da *seueritas*, ut in conuiujs, in lusu, deponenda persona  
sapientis, sumenda persona stulti, præsertim inter stultos:  
at ita, ut stultum agas, non ut stultus fias. Summa enim  
prudētia est seruire temporis. (loco) id est, quum est op  
portunum. Ita Terentius: In loco vero laudo.

Luxuriã fugito, simul et uitare memēto  
Crimen auaritiæ: nam sunt contraria fa  
mæ.

Pugnant inter se *luxus* et *auaritia*. Nã alterũ est pro  
fusi, alterum sordidi: utrunq; vitium iuxta fugiendum  
est, utpote quod *scdam* pariat famã. Siquidem qui nimi  
um parci sunt, audiunt *κνμνω πρῆς αε*, id est, cum *mise-*  
*ctores*, et *σὺνα μερῖς*, id est, *ficos diuide*, *similiaq;*. Qui  
luxu sua profundunt, nepotes & *lurcones* appellantur.

Noli tu quædã referēti credere semper.  
Exigua est tribuenda fides qui multa lo  
quuntur.

Nõ statim fides habenda ijs, qui semper aliquid noui  
rumoris

rumoris afferunt, deq̄ aliorum factis nunciant aliquid.  
Parum enim credendum ijs, qui multa loquuntur, pro-  
pterea, quod huic vitio vanitas soleat esse admixta.

Quod potu peccas, ignoscere tu tibi  
noli.

Nam nullum crimen uini est, sed culpa  
bibentis.

*Vulgus ita solet excusare sua peccata: Vinum in causã  
fuit: Bene potus hoc dixi. Verum tibi ipsi imputa, non vi-  
no, quod tuo vitio noxium fuit, non suo.*

Consiliũ arcanũ tacito cõmitte sodali.  
Corporis auxilium medico committe  
fidei.

*In rebus arcanis & tacendis, caue ne quemuis consu-  
las, sed cum duntaxat, cuius fidem in tacendo perspectã  
habeas, ne non solum non opituletur, sed lædat etiam &  
infamet. Neq̄ enim corporis vitia cuiuis aperis, sed me-  
dico nota fidei, qui cælet & succurrat.*

Successus indignos noli tu ferre mole-  
ste.

Indulget fortuna malis, ut lædere possit.

*In hoc versu multi laborãt. Quidã s elidunt in succes-  
sus. Verum tu si tollis Tu dictionem planè hic superua-  
cuam, nihil superest scrupuli. Ne te cruciet prosperitas,  
quæ nonnunquã contingit indignis. Non enim illis fauet  
fortuna, sed insidiatur et illicit, ut postea grauius lædat.*



Prospice qui ueniunt, hos casus esse ferendos.

Nam læuius lædit quicquid præuideris ante.

*Quicquid accidere potest homini, id antequam accidat, tecum meditare, ut ne subitum sit, si acciderit: minus enim cruciant mala, quæ non accidunt inopinanti.*

Rebus in aduersis animum submittere noli.

Spem retine, spes una hominẽ nec morte relinquit.

*Quũ fortuna sæuit, sustine te ipsum animi fortitudine, ac serua rebus secundis, nec abijctus spẽ, quæ sola nec morientẽ relinquit. Quandiu enim anima est, spes est. Et in pyxide Pandoræ sola spes in labro hæsit. Item Ouidius, Viuere spe uidi, qui moriturus erat.*

Rẽ tibi quã noscisc aptã, dimittere noli. Frõte capillata, post hæc Occasio calua.

*Quoties fortuna offert commoditatẽ aliquã, quæ tibi sit apta, statim arripe. Nam Occasio frontem habet capillatam, ut ea parte teneri possit: verũ si semel se uerterit, ab occipitio calua est, ut iam apprehẽdi nequeat. Hoc est, opportunitas quũ contingit, teneri potest, non redit autẽ quũ uoles, si neglexeris. Hic admonendũ illud quod Græci fingunt de deo Cero, de quo nos copiose in prouerbis.*

Quod sequitur specta, quodq; imminet, ante uideto. Illum

Illum imitare deum, qui partem spectat  
utranq̃.

*Ex prateritis futura collige. Ex prateritis bene secus  
ue gestis, consiliū cape, quo pacto futuris occurras, exem  
plo Iani dei Romani, quem bifrontē fingebat antiquitas,  
quod oporteat prudentē virū πρὸς δεξιὰ καὶ ἄριστερα:  
id est, à fronte et à tergo, ut inquit Homerus, habere oculo  
los. Illud aut̃ sequitur nos quod praterijt, & à tergo est.*

Fortior ut ualeas, interdū parcior esto.  
Pauca uoluptati debētur, plura saluti.

*Vite rationē moderare magis ex salutis ac bonæ vale  
tudinis ratione, quàm voluptatis. Nō enim in morbo tan  
tum oportet ab intemperantia cauere; verum etiā quum  
recte ualemus, parcius utendū est rebus omnibus, nepe  
somnia, potu, cibo, Venere, lusu, ne in morbū incidamus.  
Et si non nihil dandum est voluptati, multo plus tamē sa  
luti, qua perdita, pereunt simul & voluptates omnes.*

Iudicium populi nunquā contempse  
ris unus,

Ne nulli placeas, dum uis contemnere  
multos.

*Nunquā optima placent multitudini: tamē sapientis  
est non pugnare solum aduersus uniuersos. Nam frustra  
sapit qui solus sapit, quum omnibus desipere videatur.*

Sit tibi præcipue, quod primum est, cu  
ra salutis.

Tempora ne culpes, quum sis tibi causa doloris.

*Ante omnia bonæ valetudinis rationem habe, ne si tua intemperantia in morbum incideris, postea pudore rejicias culpam in cæli insalubritatē, aut loci, sicuti vulgus solet. Nam pleriq; morbi nobis accidunt ex intemperantia vitæ.*

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,  
Cum uigilat, sperans, per somnum cernit id ipsum.

*Quidā anxie obseruāt sua somnia, et ex his de futuris æstimāt, quum somnia dormientiu nascantur ex affectibus uigilantium, neq; significant quid sit euenturum, sed quod aliquando cogitaueris, dormienti representent.*

### LIBER TERTIVS.

**H**Oc quicumque uelis carmen cognoscere Lector,

Hæc præcepta feres, quæ sunt gratissima uitæ.

Instrue præceptis animum, nec discere cesses:

Nam sine doctrina uita est quasi mortis imago.

Commoda multa feres: sin autem spreueris illud,  
Non



Nō me scriptorē, sed te neglexeris ipse.

*Hoc est proœmy loco. Adq̄ ratione bene viuendi vita non est vita, sed simulachrum mortis. Hoc carmen utilissima vite precepta tradit, si studeas agnoscere: Si spreueris, te ipsum contempseris, non scriptorem. Siquidem tua res agitur, non illius.*

Cū recte uiuas, ne cures uerba malorū.  
Arbitrij nostri nō est, qd quisq; loquat̄.

*si male de te loquantur mali, cum tu nihil facias mali, esto contentus conscientia recte factorum. Nam in te situm est, ut bene agas. Non est in te situm, quomodo de te loquatur hic aut ille.*

Productus testis, saluo tñ ante pudore,  
Quantumcunq; potes cælato crimen  
amici.

*si ceteris testis in crimine amici, cælabis pro virili maleficiū illius, ita tamen, ut ipse non ledas famā tuam, & tantum silentij dabis amicitia, quantum patietur et fama tua, & testimonij religio.*

Sermones blandos, blēfosq; cauere me  
mento.

Simplicitas ueri sana est, fraus ficta lo-  
quendi.

*Veritatis simplex est oratio, insidiosa est blandiloquētia. Proinde suspecta semper esse debet prudentibus.*

Segnitic fugito, que uite ignauia fertur.

Nam cum animus langet, consumit inertia corpus.

*Ignaua & otiosa vita fugienda est. Nã torpor animi corpori quoq; situm et languorem adducit. Animi exercitatio corporis quoq; valetudini confert.*

Interpone tuis interdum gaudia curis,  
Ut possis aïo quemuis sufferre laborẽ.

*Animus serijs negotijs fatigatus, aliquando relaxandus honestis ac moderatis voluptatibus, ut redintegratis viribus ad ferendos labores sufficiat. Nam,*

*Quod caret alterna requie, durabile non est.*

Alteri<sup>9</sup> dictũ, aut factũ ne carpseris unq̃  
Exemplo simili ne te derideat alter.

*Quod in alios feceris, hoc in te fiet ab alijs. Si libenter reprehendas aliorum facta dictãue, tuo exemplo & alijs in te utentur.*

Quæ tibi fors dederit tabulis suprema  
notato

Augendo serua, ne sis quem fama lo-  
quatur.

*Quod tibi obuenit ex testamento tuorum, id serua, ne fias vulgo fabula. (Quæ fors suprema) id est, hæreditas (dederit tibi notato) id est, inscripto tabulis testamentarijs (vel notata) id est, scripta tabulis, ea (augẽdo serua) id est, ita serua, ut augeas etiam. Vulgus enim multa dicere solet in νεοπιλουτους, id est, in novas naçtos diuitias.*

Cum

Cū tibi diuitiæ superāt in fine senectæ.  
Munific<sup>9</sup> facito uiuas, nō parc<sup>9</sup> amicis.

*Est vitium hoc senibus peculiare, ut quo propius accedant ad mortē, hoc sint contractiores. (Superant) id est, supersunt et abundāt (in fine senectæ) id est, in extrema senectute, quam decrepitam vocant. Tum igitur dones, sed amicis, qui te foueant obsequijs.*

Vtile consilium dñs ne despice serui.  
Nullius sensum, si pdest, tēpseris unq̄.

*Propter authoris humilitatem non est contemnenda salubris sententia. Nec spectandum est quis dicat, sed quid dicatur.*

Rebus, & in censu, si non est, quod fuit  
ante,

Fac uiuas contentus eo, quod tempo-  
ra præbent.

*Diminuta fortuna tua, nō est utendū eodē splendore, quo prius, sed contentus eris eo genere vita, quod præsens fortuna tibi præbet. Et quod adest, boni consules.*

Vxorem fuge, ne ducas sub nomine do-  
tis,

Nec retinere uelis, si cœperit esse mo-  
lesta.

*(Fuge) id est caue, ne ducas uxore dotis causa. Et si duxeris dotatā, ne dotis respectu eam retineas, si tibi grauis sit, sed contēpta dotē repudies. Quamquā id apud Christi-  
anos nō habet locū.*



Multorum disce exemplo, quæ facta se-  
quaris,

Quæ fugias. Vita est nobis aliena ma-  
gistra.

*Qui suis discunt periculis, quid expediat, magna mer-  
cede discunt: sapiens ex aliorum vita sumit viuendi con-  
siliū. Hoc illi infamiam conflauit, cauebo ne quid simi-  
le faciam. Hoc illi bene cecidit, imitabor.*

Quod potes, id tentes, operis ne pon-  
dere pressus,

Succumbat labor, & frustra tentata re-  
linquas.

*Prius expende vires tuas, quàm aggrediare negotiū,  
ne postea victus difficultate, turpiter relinquas quod te-  
mere suscepisti.*

Quod nosti haud recte factum, nolito  
tacere,

Ne uideare malos imitari uelle, tacēdo.

*Noli dissimulare, si quid uideris non recte fieri: uide-  
beris enim probare cum siles. Silentium enim aliquando  
consensus esse videtur.*

Iudicis auxiliū sub iniqua lege rogato.

Ipsæ etiā leges cupiūt, ut iure regantur.

*Si premeris iniqua lege, hoc est, dura & inhumana,  
confugas ad iudicis æquitatem. Non enim hoc est contra  
leges, sed ex mente legum, ut ad æquitatem redigantur*

& tem-

Et temperentur. Iniqua lex est, cum summo iure contenditur: veluti si pauper in vincula conijciatur, quod non alat patrem, cum lex dicat, Liberi parentes alāt, aut vinciantur. Aliquando lex durior est, ut terreat. In his iudex, hoc est prætor aut princeps, potest succurrere.

Quod merito pateris, patienter ferre memento:

Cūq; reus tibi sis, ipsum te iudice dāna.

*Incommodū quod tua culpa tibi accidit, nō imputabis alij quā tibi: Et cum tibi sis conscius, damna te ipsum, cuiq; iudex esto, et ea te pœna dignum existimato.*

Multa legas facito, perlectis perlege multa.

Nam miranda canunt, sed non credenda poetæ.

*Multa quidem legas, sed cum iudicio. Nec enim omnia vera sunt, quæ legis apud poetās. Fortassis pro perlege legendum est perline, hoc est, dele, et corrige, etiam si Planudes vertit μετέχεο.*

Inter cōuiuas fac sis sermone modestus,  
Ne dicare loquax, dum uis urbanus haberi.

*In foro locus est eloquentia, in cubiculo silētij, in conuiuijs alternis ac moderatis sermonibus uti cōuenit, ijsq; uenustis et amœnis. Quidā dum humanitatē affectant, loquacitate molesti sunt reliquis cōuiuijs, quibus nō relinquūt loquendi spatium.*

Coniugis iratæ noli tu uerba timere.  
 Nam lachrymis struit insidias, dum fœ-  
 mina plorat.

*Vxores lachrymas habēt in promptu. His expugnant viros. Admonet igitur, ne quid cōmoueamur huiusmodi lachrymis. Fingunt enim eas sæpenumero, quo viros suos fallant: veluti cū simulant se cōmoueri Zelotypia, ut suum adulteriū dissimulēt: aut iratas se fingūt ei, quem efflictim amant. Pro noli tu, legendum arbitror nolito.*

Vtere quæsitis, sed ne uidearis abuti.  
 Qui sua consumunt, cum deest, aliena  
 sequuntur.

*Vtere quæ parasti, non abutere, ne profusis bonis tuis cogaris vel impudenter rogare aliena, vel seruiliter ex alieno viuere, vel periculose furari aliena.*

Fac tibi proponas mortem non esse ti-  
 mendam:

Quæ bona si non est, finis tamen illa ma-  
 lorum est.

*Mors vel ob hoc timenda non est, quod finis est omnium huius vitæ malorum.*

Vxoris linguam, si frugi est, ferre me-  
 mento.

Nam quod malū est, nil uelle pati, nec posse tacere.

*In amicis leuiuscula quedā vitia ferenda sunt, si ali-*  
 equi



equi probi fuerint: velut in uxore, si paulo sit loquacior, aut linguæ procatioris, ferendū est, si alioqui pudica est & frugi, hoc est, suo fungens officio. Maxime quod linguæ morbus ei sexui peculiaris est. Malus est is, qui nihil vitij ferre potest in alijs, præsertim cum res facilis sit tacere: sic enim uxor desinet obgannire, si nihil respõdeas, quemadmodum solitus est Socrates.

Dilige non egra charos pietate parētes,  
Nec matrem offendas, dum uis bonus  
esse parenti.

*Pietas, amor, & cultus est erga parentes, patriam, deum, & si quis loco parentum est. Quidam veluti legibus coacti colunt parentes, non ex animo. (Dilige parentes charos pietate non egra) id est, non coacta, neq; grauatim, sed prompte et alacriter. Et si quid incidere dissi- dy inter parentes, ita alteri obsequaris, ut alterum non offendas, sed pietas tua careat omni molestia.*

## LIBER QVARTVS.

**S**Ecuram quicumq; cupis traducere  
uitam,

Nec uitij hæreere animum, quæ mori-  
bus obsunt.

Hæc præcepta tibi semper relegenda  
memento.

Inuenies aliquid, in quo te utare magi-  
stro.

*Et hoc*

C A T O N I S

*Et hoc proœmium est quarti libri. Si uis esse liber ab omnibus uitijs, & nullius mali tibi conscius uiuere, hæc semper habeas præ manibus. In quibus inuenies, in quo te ipso magistro possis uti, hoc est, ut ipse regas ac moderare ris uitam tuam, adiutus his præceptis.*

**Despice diuitias, si uis animo esse beat⁹:  
Quas qui suspiciunt, mendicant semper auari.**

*Non iubet abicere diuitias, sed non magnificere. Etenim qui has suspiciunt, hoc est, mirantur ac magnificiunt, dum non audent uti quæ possident, & semper aliquid accumulunt, semper mendicant, hoc est, egeni sunt.*

**Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,**

**Si cōtentus eo fueris, quod postulat usus.**

*Si metiaris sumptus usu, hoc est, necessitate, non ambitione, neque voluptate, nunquam tibi deerunt commoditates naturæ, quæ paucis contenta est, cum cupiditates immensum desiderent.*

**Cū sis incaut⁹, nec rē ratione gubernes.**

**Noli fortunā, quæ non est, dicere cæcā.**

*Si res male tibi succedunt tuapte negligentia, ne cōferas culpam in fortunā, ut illam cæcā appelles, cum tu ipse magis parum prospexeris. Potest accipi bisariā (quæ non est) id est, quæ nulla est. Fingunt enim mortales hanc deam, cum nulla sit. Aut (quæ non est) subaudi, cæca.*

*Dilige*

Dilige denariũ, sed parce dilige formã,  
 Quam nemo sanctus nec honestus ca-  
 ptat habere.

*Amare pecuniam ad vsum, prudentis est: amare ut  
 forma pascas oculos, auari ac dementis. Denarium vo-  
 lunt omnes, formam soli mali captant.*

Cum fueris locuples, corpus curare me-  
 mento.

Aeger diues habet nummos, sed nõ ha-  
 bet ipsum.

*Quũ agitur de corporis valetudine, ne tũ parcas diu-  
 tijs tuis. Etenim qui morbo nõ succurrit ne minuat pecu-  
 niam, is habet quidẽ nummos, at seipsum nõ habet, quũ  
 male valeat. Mauult nũmos esse saluos, quã seipsum,  
 & illis frui, quã seipso. Fortasse pro sed legendum se.*

Verbera cum tuleris discens aliquan-  
 do magistri.

Fer patris imperium, quum uerbis exit  
 in iram.

*Vapulasti puer à praeceptore, quum disceres literas:  
 multo magis ferre conuenit, quum pater te uerbis obiur-  
 gat. Tulisti literatoris tyrannidem multo seuiorem: fer as  
 & patris imperium, qui etiam quum irascitur, tamen  
 à verberibus temperat.*

Res age quæ profunt, rursus uitare me-  
 mento,

*In quibus*



In quibus error inest, nec spes est certa laboris.

*De quibus dubites, ea ne feceris. Age illa, ex quibus certa speratur utilitas. Rursus in quibus falli posses, et incertum est profutura ne sint, an nocitura, ab his abstineas.*

Quod donare potes, gratis concederoganti.

Nam recte fecisse bonis in parte lucrorum est.

*Dona libenter si quid potes. Nam lucrū est, non damnum quod contuleris in bonos. Et beneficium dando accepit, qui digno dedit. Redit enim cum fœnore, quod probo viro benefeceris.*

Quod tibi suspectum est, confestim discute quid sit:

Namquæ solent primo quæ sunt neglecta nocere.

*Quæ suspicionē habent mali, ea noli negligere, sed statim examina et exquire cuiusmodi sint. Nam in iis facile medeberis, si quod mali sit: at neglecta crescunt, ac maxime lædunt postea. Veluti si suspicaberis amicū alieniore esse in te animo, noli negligere quid sibi velit, sed excute unde hoc natū sit. Et si quid est, statim occurre nascenti malo.*

Cum te detineat Veneris damnosa voluptas,

Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.

Caue

*Cave ne duplices morbum tuum, vnus enim vt cunq;  
fertur, duo simul ferri nō possunt. Amare damnosa res,  
dānosa gula. Quod si pariter vtroq; laboras malo, super-  
est, vt mox ad egestatē redigaris. Gulam vocat studium  
exquisitorum ciborum, eamq; dicit ventris amicā, quod  
per eam venter saginatur, res & fama decrescit.*

Cum tibi proponas animalia cuncta ti-  
mere,

Vnum hominem tibi præcipio plus esse  
timendum.

*Cum tua sponte putes omnes feras esse timendas, meo  
præcepto vnum animal maxime timebis, nēpe hominē.  
Nam nulla belua magis homini nocet, q̄ homo homini.*

Cum tibi præualidæ fuerint in corpore  
vires,

Fac sapias, sic tu poteris uir fortis ha-  
beri.

*Si natura dedit vires corporis, non statim vir fortis  
eris, nisi adiunxeris ingenij vim, hoc est, sapientiam, qua  
corporis robore recte utaris.*

Auxiliū à notis petito, si forte laboras.  
Nec quisquam melior medicus quàm  
fidus amicus.

*Corporis morbos aperis medico. Animi morbos aperi  
fidei amico. Ille pharmacis sanat, hic verbis. Aliter, si  
quid morbi inciderit, magis amicum accersere q̄ medicū.*

*Cum sis*

Cum sis ipse nocens, moritur cur uicti-  
ma pro te?

Stultitia est morte alteri<sup>9</sup> sperare salutē.

*Veteres credebant expiari scelus commissum macta-  
ta pecude, quæ nihil commiserat: & pro alieno peccato  
innocens dabat pœnas, cum is qui peccauit, potius macta-  
ri debuerit, quàm uictima. Stulte autem sperabant alie-  
nam mortem sibi saluti fore, cum sua quæq; mala de suo  
dependere oporteat.*

Cum tibi uel socium uel fidum quæris  
amicum,

Non tibi fortuna est hominis, sed uita  
petenda.

*Amicus quem uelis adiungere, nõ estimandus è cen-  
su, sed ex moribus. Idem oportet fieri in uxoribus.*

Vtere quæsitis opib<sup>9</sup>, fuge nomē auari.

Quid tibi diuitiæ profunt, si pauper ab-  
undas?

*Frustra parasti diuitias, si partis uti non audes, et in-  
ter magnas opes uiuis inops. Nihil enim refert habere, si  
quæ habes, nihilo plus tibi profunt, quàm ea quæ non  
habes.*

Si famam seruare cupis, dum uiuis ho-  
nestam,

Fac fugias animo quæ sunt mala gaudia  
uitæ.

*Si cupis.*



*Si cupis honestam tueri famam, noli amare voluptates inhonestas, nempe gulæ, libidinis, & similia.*

Cū sapias animo, noli irridere senectā,  
Nam quicumq; senex, sensus puerilis in  
illo est.

*Cum per atate vigeat ingenium tuum, et animi vis, noli deridere senectutem, quæ minus animo ualeat. Desipiscit enim omnis senex, et ad puerilem stultitiam redit. Aetatis igitur vitium ferendum, non ridendum est.*

Disce aliquid: nam cum subito fortuna  
recedit,

Ars remanet, uitamq; hominis non de-  
ferit unquam.

*Opes sæpenumero subito fortuna eripit homini, veluti incendio, furto, bello, naufragio: verum ars eripi non potest. Hac itaq; certissima possessio est, quæ semper & ubiq; te possit alere.*

Perspicito cuncta tacitus, quid quisq;  
loquatur,

Sermo hominum mores & cælat, & in-  
dicat idem.

*Nulla res magis arguit & aperit vitæ et ingenium hominis, quàm illius oratio. Hoc est certissimum animi speculum. Igitur si vis hominem cuiusmodi sit cognoscere, perpende tecum qualis sit illius oratio. Sermo indicat mores hominis, si loquatur ex animo: et cælat idem, si vel taceas, vel dissimulanter loquaris.*

Exerce studiū, quāuis perceperis artē.  
 Ut cura ingenium, sic et manus adiuuat  
 usum.

*Ut euanescent disciplina, nisi exercitatione confirmes,  
 sic artificium opere confirmandum erit, ne excidat.*

Multū ne cures uenturi tempora fati.  
 Non timet is mortem, qui scit contem-  
 nere uitam.

*Si uis liber esse à metu mortis, discere uitā nō magnifacere.  
 Et quemadmodū eleganter docet Aristoteles, nullius  
 rei iucūda fructio est, nisi quā aliquo modo cōtempseris.*

Disce, sed à doctis, indoctos ipse do-  
 ceto:

Propaganda etenim rerū doctrina bo-  
 narum.

*Disce nō à quouis, sed ab his qui possunt docere. Rur-  
 sum quod ab alijs didiceris, id alijs impartiri. Utīlū enim  
 rerū scientia non est premenda, sed per manus tradenda.*

Hoc bibe quod possis, si tu uis uiuere  
 sanus.

Morbi causa mali est homini quando-  
 que uoluptas.

*Ne biberis supra vires. Breuis enī illa bibēdi uoluptas  
 sepe numero cōciliat hoī molestū et diuturnū morbum.*

Laudaris quodcunq; palàm, quodcun-  
 que probaris. Hoc

Hoc uide ne rursus leuitatis crimine  
damnes.

*Leuis & inconstans videberis, si quod aliquando co-  
ram multis laudaris, idem postea damnes. Quod si muta  
sti sententiam fac sileas. Fortasse pro uide legendum est,  
fuge. Crimine id est, suspitione, & cum vituperio.*

Tranquillis rebus quæ sunt aduersa ca  
ueto,

Rursus in aduersis melius sperare me-  
mento.

*Ne securus sis cum fortuna tranquilla est, sed tempe-  
statem caue. Rursum cum fortuna sæuit, animum susti-  
ne spe melioris fortunæ, quæ successura sit. In secundis re-  
bus timenda sunt aduersa, ne sis supinus. In aduersis spe-  
randa sunt latiora, ne deficias animo.*

Discere ne cesses, cura sapientia crescit.  
Rara datur longo prudētia tēporis usu.

*Iuxta Solonis sententiam, oportet senescere semper ali-  
quid addiscentes. Nam (rara) hoc est singularis & exi-  
mia prudentia, contingit (longo usu) id est, diutina  
experientia etatis. Quanquam mihi magis probatur, hic  
ut sit sensus: Semper disce, studio crescit sapientia. Nam  
pauci sunt qui prudentes euadunt experientia rerum,  
vel quia paucis contingit diu viuere, vel quia complu-  
res stultitiam non exuunt hac via. Certissima ac breuis-  
sima ad sapientiam via est doctrina.*



Parce laudato: nam quem tu sæpe pro-  
baris,

Vna dies qualis fuerit monstrabit ami-  
cus.

*Ne laudes amicum effusus, cuius non feceris pericu-  
lum: siquidem ille sapius abs te laudatus, uno aliquo die  
declarabit alium fuisse se, quàm tu pradicaris.*

Ne pudeat quæ nescieris te uelle doceri  
Scire aliquid laus est, pudor est nil di-  
scere uelle.

*Quidam stulto quodam pudore malunt semper nesci-  
re, quàm semel discere, cum scire pulchrum sit, & pu-  
dendum nihil uelle discere. Ergo honestum uelle.*

Cum Venere & Baccho lis est, & iuncta  
uoluptas.

Quod lautum est animo complectere,  
sed fuge lites.

*Excerpe quod inest boni, fuge quod adiunctum est mali.  
Exhilarat potatio, discutit curas, utere hac comoditate:  
sed rursus ebrietas incitat ad iurgia, hoc caue. Itē Venus  
delectat, sed habet sua iurgia. Ama igitur absq̃ disidijs.*

Demissos animo ac tacitos uitare me-  
mento:

Quà flumen placidum est, forsan latet  
altius unda.

*Tristes ac tacitos vita: videntur enim aliquid magni  
mali*

mali moliri. Quemadmodum cauendum est flumen ea parte, qua tranquillum est. Nam illud profundissimum esse solet. Ita Cæsar magis metuebat Brutum et Cæsium, pallidos ac tacitos, quam Antonium ebrium.

Cum tibi displiceat rerū fortuna tuarū,  
Alteri<sup>9</sup> specta, quo sis discrimine peior.

*Quoties cadet te tua sortis, confer eam cum aliorum fortuna, & videbis te nihilo peiorem, hoc est infeliciorem multis.*

Quod potes id tenta: nam littus carpe-  
re remis,

Tutius est multo, quàm uelum tendere  
in altum.

*Aggredere tuta magis, quàm magna. Tutius enim tuto nauigare iuxta littus, & remis uti, quàm passis uelis periclitari in fluctibus. Nec enim omnibus fauet ueteri fortuna.*

Contra hominem iustum praeue contē-  
dere noli.

Semp enim de<sup>9</sup> iniustas ulciscitur iras.

*Noli praeue, hoc est malitiose, & data opera, ac peruersè contendere cum homine iusto. Nam deus nunquā hoc relinquit inultum.*

Ereptis opibus noli lugere mœrendo,  
Sed gaude potius, tibi si contingat ha-  
bere.

*Si diuitia contingunt, gaude: si erepta fuerint, noli te*

eruciare, sed tunc utere Philosophia. Neq<sup>3</sup> enim tantum boni habent, ut sit admodum dolendum, si perierint: neq<sup>3</sup> rursus tantum mali, ut nō sint libenter accipiēda, si forte contigerint. Constat carmen esse deprauatū. Arbitror legendum, noli mœrere querendo. Planudes videtur hoc sensisse, Ereptas opes ne deploras, sed gaude potius habuisse te quod perderes. Sed dubium non est quin à Planude scriptum fuerit ἀπολαύσαι pro ἀπολέεις. Porro querendo non est à quæro, sed à queror deponenti verbo: quo Planudes vertit ὀλοφύρεις. Hic casus erit exēplo nonnunquam è duobus codicibus deprauatis restitui veram lectionem. Deinde quantopere expediat, authorum monumenta non vni linguæ fuisse commissa.

Est iactura grauis quæ sunt amittere dānis.

Sunt quædam quæ ferre decet patienter amicum.

*Si verbulo ledat amicus, ferendum est. At damna rerum nemo potest æquo animo ferre. In his igitur cauendum, ne ledamus amicum.*

Tēpora lōga tibi noli promittere uitæ.  
Quocunque ingrederis sequitur mors  
corporis umbra.

*Nemo potest sibi longæuitatē promittere, quum mors hominē quocunq<sup>3</sup> eat, non aliter insequetur, quàm umbra corpus. Fortasse legendum, corpus ut umbra. Nam sic reddidit Planudes.*



Thure deum placā, uitulū sine crescat  
aratro.

Ne credas placare deū, dū cæde litatur.

*Non gaudet deus morte pecudū: ergo thure litandum est illi, hoc est, re innoxia & minimi sumptus. At hodie pleriq; Christianorū, licet apud hos sublatus sit mos immolandi pecudes, tamen deum ac diuos sibi tantum non deuinctos esse putant, si eis gemmas, aurū, argentum, ac serica suspenderit, vel ostentanda tantū, vel in luxum paucorum uertenda, immemores hæc semper à sanctis fuisse contempta, et si forte obtigerunt in egentium usus fuisse effusa.*

Cede locū læsus fortunæ, cede potenti.

Cedere qui potuit, prodesse aliquando  
ualebit.

*Qui rē habet cum proceribus, quoniā prodesse possunt in multis, necesse est ut aliquando mussēt iniurias, id est tacitus ferat. Lædunt enim aliquando potētes, & tyrannidem exercent. Hic igitur prudens illis debet cedere, ut postea per illos suis prodesse possit. Nam si resistens reddiderit eos hostes, nec sibi, nec suis prodesse poterit.*

Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde.

Vulnera dum fanas, dolor est medicina  
doloris.

*Vbi senseris te alicubi peccasse, statim pœnas sumito*

C A T O N I S

de teipso, & noli tibi ignoscere. Teipsum obiurga, tibiipfi laboris aliquid indicito. Nam ut in sanādis vulneribus, dolor dolore sanatur, siquidem ne doleat vulnus, in sanādis acria, quæ mordent: sic ista reprehensio tametsi amara est, tamen medetur vitio animi.

Damnaris nunquam post longum tempus amicum.

Mutauit mores, sed pignora prima memento.

*Si is cum quo tibi fuit diutina consuetudo, forte mutatis moribus alius esse cæpit, hoc debes tribuere veteri necessitudini, ne vituperes eum, etiamsi non est dignus qui ametur.*

Gratior officijs quo sis mage, charior esto.

Ne nomen subeas, quod dicitur officiperda.

*Ut sis charus omnibus, esto gratus (officijs) id est, beneficjs & benemeritis. Inuisum enim apud omnes est nomen officiperdæ. Sic enim vocant eum, in quem collocatum officium perditur. Nihil enim tam perit, atque id quod confertur in ingratum.*

Suspectus, caueas, ne sis miser omnibus horis.

Nā timidus & suspectus aptissima mors est.

*Qui sibi fingit periculum, is nunquam non miser viuit. Nihil igitur huic aptius, quàm mors: quandoquidē non potest incunde viuere. Suspectus hic accipit actiue pro suspitioso.*

Cum fueris seruos proprios mercatus  
in usus,

Et famulos dicas, homines tamen esse  
memento.

*Sic utere seruis tuis licet emptitijs, ut meminervis homines esse, non pecudes. Quod empti sunt, fortuna fuit: quod homines sunt, in hoc tibi sunt pares.*

Quàm primum rapienda tibi est occa-  
sio prima,

Ne rursus quæras quæ iam neglexeris  
ante.

*Occasio, quam ante dixit frontem habere capillatã, statim est arripienda, ne si se subduxerit, frustra quæras postea, quæ prius contempseras.*

Morte repentina noli gaudere malorū.  
Felices obeunt quorum sine crimine  
uita est.

*Si mali subito moriantur, dolendum magis est quàm gaudendum. Gaudendum potius in morte bonorum, quorū mors felix est. Vel sic, ut vertit Planudes, tametsi malus author: Si videris malos subito tolli, noli gaudere. Contin- git idē bonis viris et innocentibus, ut intelligas hoc casu*



accidere, non vindicta numinis. Versus ipse ascribam.  
 μη ἐπιχαίρει κακῶν θανάτοις φίλος ἑξαπινάοις.  
 Ὅτι καὶ ἑδδοί θυήσκουσιν ὦρ βίῃ ἀμμορῶ  
 αἴχρς.

*Hac indicaui, nō vt in se tēter Planudē, sed vt nobis Græci  
 vicissim ignoscant, sicubi labimur in peregrina lingua.*

Cum coniunx tibi fit, nec res, & fama laboret,

Vitandū ducas inimicū nomen amici.

*Si pauper habueris uxore, quæ laborat fama, hoc est, de qua homines male loquantur, (ducas) id est, existimes, nomen amici vitandum esse, utpote inimicum fama tuæ: videberis enim prostituere uxorem: hoc prætextu, et hoc nomine diuites pauperum uxores captant. Ita propemodum Planudes, tametsi potest & alius esse sensus, nimirum hic: Si tibi sit uxor, re satis lauta, fama q̄, secunda, noli te dare in familiaritatem potentum, ne quid labis uxori tibi q̄, contrahas.*

Cum tibi contingat studio cognoscere multa,

Fac discas multa, uites nescire doceri.

*Quo plura didiceris, hoc plura stude cognoscere. Ne vī dearis indocilis ullius rei.*

Miraris uerbis nudis me scribere uerf?  
 Hos breuitas sensus fecit coniungere  
 binos.

*Sententia nudis verbis explicanda est. Melius enim meminimus quæ breuia sunt. Idcirco nudis verbis singula præcepta singulis distichis complecti voluit, ut aper-  
tior esset & breuior.*

*Finis Erasmo castigatore, & interprete.*

DICTA SAPIENTVM E GRAE  
CIS, VT HABEBANTVR A NESCIO  
quo Graculo utcunq; collecta, vel confi-  
eta potius, Erasmo interprete.

PERIANDRI CORINTHII.

*Omnibus placeto.*

*Bona res quies.*

*Periculosa temeritas.*

*Semper voluptates sunt mortales, honores autem immor-  
tales.*

*Amicis aduersa fortuna utentibus idem esto.*

*Lucrum turpe, res pessima.*

*Quicquid promiseris, facito.*

*Infortunium tuum celato, ne voluptate afficias inimicos.*

*Veritati adhaereto.*

*Age quæ iusta sunt.*

*Violentiam oderis.*

*Principibus cede.*

*Voluptati tempera.*

*A iureiurando abstine.*

*Pietatem sectare.*

*Laudato honesta.*

*A vitijs abstine.*

*Beneficium repende.*

*Supplicibus misericors esto.*

*Liberos instrue.*

*Sapientum utere consuetudine. Litem oderis.*

Bonos

D I C T A

- Bonos in pretio habeto.  
*Audi quæ ad te pertinent.*  
 Probrum fugito. *Responde in tempore.*  
 Ea facito, quorum non possit pœnitere.  
 Ne cui inuideas. *Oculis moderare.*  
 Quod iustum est, imitare.  
 Bene meritos honora. *Spes foue.*  
 Calumniam oderis. *Affabilis esto.*  
 Cum erraris, muta consilium.  
 Diutinam amicitiam custodi.  
 Omnibus teipsum præbe. *Concordiam sectare.*  
 Magistratus metue. *Ne loquaris ad gratiam.*  
 Ne tempori credideris. *Teipsum ne negligas.*  
 Senioreni reuerere. *Mortem oppete pro patria.*  
 Ne quauis de re doleas.  
 Ex ingenuis liberos crea.  
 Sperato tanquam mortalis.  
 Parcito tanquam immortalis.  
 Ne efferaris gloria. *Arcanum cæla.*  
 Cede magnis. *Opportunitatē expectato.*  
 Mortalia cogita. *Largire cum utilitate.*  
 Ne prior iniuriam facias. *Dolorem fuge.*  
 Mortuum ne rideto. *Amicis utere.*  
 Consule inculpate. *Delecta amicos.*

B I A N T I S.

In speculo teipsum contemplare, & si formosus appare-  
 bis, age quæ deceant formam. Sin deformis, quod in facie  
 minus est, id morum pensato pulchritudine.



De numine ne male loquere, quid sit autem ausculta.

Audito multa, loquere pauca.

Prius intellige, & deinde ad opus accede.

Ne ob diuitias laudaris virum indignum.

Persuasione cape, non vi.

Compara, in adolescentia quidem modestiam, in senectute vero sapientiam.

## PITTACI MITTLENÆI.

Quæ facturus es, ea ne prædixeris: frustratus enim rideberis.      Deposita redde.

A familiaribus in minutis rebus laesus seras.

Amico ne maledixeris. Inimicum ne putes amicum.

Vxori dominare.

Quæ feceris parentibus, eadem à liberis expecta.

Desidiosus ne esto.

Inter amicos ne fueris iudex.

Ne contende cum parentibus, etiam si iusta dixeris.

Ne geras imperium, priusquam parere didiceris.

Infortunatum ne irriseris.

Ne lingua præcurrat mentem.

Quæ fieri non possunt, caue concupiscas.

Ne festines loqui.

Legibus pare.

Nosce teipsum.

Ne quid nimis.

Ante omnia venerare numen.

Parentes reuerere.

Audito libenter.

Voluptatem coerce.

Inimicitiam solue.

D I C T A

*Vxorem ducito ex æqualibus, ne si ex ditioribus duxeris, dominos tibi pares, non affines.*

CLEOVLII LINDII.

*Ne sis vnquam elatus. Domus curam age.*

*Libros euolue.*

*Liberos tibi charissimos erudi.*

*Iuste iudicato. Bonis benefacito.*

*A maledicentia temperato.*

*Suspicionem abijcito.*

*Parentes patientia vince.*

*Beneficij accepti memento.*

*Inferiorem ne reijcias. Aliena ne concupiscas.*

*Ne teipsum præcipites in discrimen.*

*Res amici diliges, vt perinde serues vt tuas.*

*Quod oderis, alteri ne feceris.*

*Ne cui miniteris, est enim muliebre.*

*Citius ad infortunatos amicos, quàm fortunatos proficiscere.*

*Lapis auri index, aurum hominum.*

*Voto nihil pretiosius.*

*Mendax calumnia vitam corrumpit.*

*Mendaces odit quisquis prudens ac sapiens.*

CHILONIS LACEDÆMONII.

*Nosce teipsum. Ne cui inuideas mortalia.*

*Temperantiam exerce. Turpia fuge.*

*Tempori parce. Iuste rem para.*

*Multitudini place. Sapientia utere.*

*Moribus probatus esto. Ne quid suspiceris.*

Oderis

Oderis calumnias. Ne fueris onerosus.

SOLONIS ATHENIENSIS.

Deum cole. Parentes reuerere.

Amicis succurre. Nemini inuideto.

Veritatem sustineto. Ne iurato.

Legibus pareto. Cogita quod iustum est.

Iracundia moderare. Virtutem laudato.

Malos odio prosequitor.

THALLETIS MILESII.

Principem honora. Amicos probato.

Similis tuis sis. Nemini promittito.

Quod ad est boni consulito. A vitis abstineto.

Gloriam sectare. Vita curam age.

Pacem dilige. Laudatus esto apud omnes.

Susurrionem ex adibus eijce.

DICTA SAPIENTVM EX AVSONIO,

carmine. Atq; in his extrema sententia ferè  
semper est gemina, & disticho  
comprehenditur.

PERIANDRI, CARMINE

Phalacio.

Nunquam discrepat utile à decoro.

Id est, Nihil vile, quod non honestum.

Plus est sollicitus, magis beatus.

Id est, Quo quisq; ditior, hoc magis sollicitus vivit.

Mortem optare malum, timere peius,

Miser



D I C T A

*Miser est qui tadio vitam mortem optat: sed miserior,  
qui semper timet mortem.*

Faxis, ut libeat, quod est necesse.

*Quod necesse est facere, fac ut libenter facias.*

Multis terribilis, caueto multos.

*Quem multi timent, is multos timeat necesse est.*

Si fortuna iuuat, caueto tolli.

Si fortuna tonat, caueto mergi.

*Ne extollaris fortuna prosperitate. In rebus aduersis  
ne frangaris animo.*

B L A N T I S, C A R M I N E

*Heroico.*

Quæ nam summa boni? mens quæ sibi  
conscia recti.

*Id est, Quid optimum? Animus bene sibi conscius.*

Pernicies homini quæ maxima? solus  
homo alter.

*Id est, Homini maxima pernicius est ab homine.*

Quis diues? qui nil cupiat. Quis pau-  
per? auarus.

*Diues est, non qui multa possidet, sed qui sua sorte  
contentus est. Auarus omnis, pauper est, qui quod ha-  
bet, non habet.*

Quæ dos matronis pulcherrima? uita  
pudica.

*Mulier etiam indotata, satis dotata est, si casta est.*

*Quæ*

Quæ casta est? de qua mentiri fama ue-  
retur.

*Castâ non est, de qua fama turpiter loquitur.*

Quod prudentis opus? cum possit, nol-  
lenocere.

Quod stulti proprium? nõ posse & uel-  
lenocere.

*Proprium prudentis est, etiã cum possit, nolle tamen  
vlicisci. Malus etiam cum non possit, optat tamen ledere.*

## PITTACI, CARMINE

*Iambico trimetro.*

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.

*Eiusdem est artis recte tacere, & recte loqui.*

Bono pbari malo, quàm multis malis.

*Non refert quàm multi laudent te, sed quales.*

*Nam ab improbis laudari, vituperari est.*

Demens superbis inuidet felicibus.

*Stultitia est cruciari felicitate malorum, quasi in  
vulgaribus bonis sit sita felicitas.*

Demens dolorem ridet infelicium.

*Aequè stultum est gaudere calamitate malorum,  
quasi non & ante fuerint infelices.*

Pareto legi, quisquis legem sanxeris.

*Quod alijs præscripseris, ipse seruato.*

Plureis amicos re secunda compares.

Paucos amicos rebus aduersis probes.

D I C T A

*Prospera fortuna conciliat multos amicos.  
At reflante fortuna, pauci manent, sed sinceri.*

CLEOBVLI, CARMINE

*Asclepiadeo.*

Quanto plus liceat, tam libeat minus.

*Quo potentior es, hoc magis caue, ne quid pecces: & quo plus tibi permittunt homines ob principatum, hoc ipse minus permittas tibi.*

Fortunæ inuidia est immeritus miser.

*Cum bonis male est, fortunæ imputatur, cum ea sæpe magnatum sit culpa.*

Felix criminibus nullus erit diu.

*Felicitas malo parta, non est diuturna.*

Ignoscas alijs multa, nihil tibi.

*In alios lenis esto, in teipsum seuerus.*

Parcit quisq; bonis, perdere uult bonos.

*Qui bonos viros tradit in manus bonorum, is seruat, non perdit quos prodit. Quanquam suspicor legendum: Parcit quisq; bonis, perdere uult malos.*

*Et sit sensus: Qui malos, ac nocentes afficit supplicio, is miseretur bonorum & innocentium, quos ab horum violentia liberat. Et quisq; durius positum est pro quisquis.*

Maiorum meritis gloria non datur.

Turpis sæpe datur fama minoribus.

*Laus parentum non tribuitur posteris.*

*At probra parentum sæpe obijciuntur liberis.*

CHILO-



CHILONIS, CARMINE CHORIAMBICO,  
*ex Choriambis tribus & Amphibrachis. Videtur Sotadicum.*

Nolo minor me timeat, despiciatq; maior.

*Sic est moderanda vita ratio, ut nec inferioribus sis formidini, quod est tyrannicum, nec superioribus cōtēnti, quod est abiectæ fortunæ.*

Vive memor mortis, immemor ut sis salutis.

*Sic fuge turpia, quasi hodie moriturus. Sic cura honesta studia, quasi semper victurus. Quando hic versus deprauatus est, suspicor ita legendum:*

*Vive memor mortis, ut sis memor & salutis. Aut sic: Vive memor mortis, ne sis immemor & salutis.*

Tristia cuncta exuperans, aut animo, aut amico.

*In rebus aduersis, aut amici consuetudine falle mœrorem, aut animo te sustine.*

Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.

*Benefacta tua prædicent alij.*

Grata senectus homini, quæ parilis iuuentæ.

Illa iuuentus grauior, quæ similis senectæ.

D I C T A

*Florida senectus, simillima est adolescentiæ.  
Morosa iuuentus, simillima est senectuti.*

SOLONIS, CARMINE

*Trochaico.*

Dico tunc uitam beatam, fata cum per-  
acta sunt.

*Nemo beatus, nisi qui feliciter obierit diem.*

Par pari iugato coniunx: disidet quod  
impar est.

*Firmissima est amicitia, quæ inter pares conyt.*

Non erunt honores unquam fortuiti  
muneris.

*Honos verus virtutis est præmiũ, nõ munus fortunæ.*

Clàm coarguas propinquũ, sed palàm  
laudaueris.

*Amicum laudato palàm, sed errantẽ occulte corripe.*

Pulchrius multo parari, quàm creari  
nobilem.

*Clarius est nobilitas, quam ipse tuis virtutibus tibi  
pararis, quàm quæ ex maiorum imaginibus contigit.*

Certa si decreta fors est, quid cauere  
proderit?

Siue sunt incerta cuncta, quid timere  
conuenit?

*Si fatum vitari nõ potest, quid prodest præscisse? Sin  
incertũ, stultũ est timere, quod an euenturũ sit, nescias.*

THA-

## THALLETIS, VERSV

Pentametro.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.

*Quod apud alium puderet facere, ne solus quidem au-  
sis facere, veluti teipso teste.*

Vita perit, mortis gloria non moritur.

*Etiā post mortem vivit gloria benefactorum.*

Quod facturū eris, dicere sustuleris.

*Sile si quid est in animo facere, ne quis impediāt.*

Cruce est, si metuas, vincere quod ne-  
queas.

*Augēt sibi molestiā, qui timet quod vitari nō potest.*

Cum vere obiurgas, sic inimice iuuas.

*Præstat vere carpi ab inimico, quā falso laudari ab  
amico.*

Nil nemiū, satis est, ne sit & hoc nemiū.

*Ne quid nimis. Nam modus omnibus in rebus est op-  
timus.*

SEQVNTVR MIMI PV-

BLLIANI, AB ERASMO CA-

stigati & elucidati.

ERASMVS ROTEROD.

LECTORI S.

*In hos depravatissime scriptos reperi commentarios  
longe prodigiosiores quā in Catonem, qui neg. cælum,*



neque terram attingerent, & tamen accuratissime depi-  
ctos, ceu rem sacrã. O seculum illud infelix. Sunt pleriq;  
senarij lambici, sed Latina Comœdia libertatem non fru-  
gentes, si quod diuersum genus inciderit, annotabimus.  
Ceterum qui scire volet à quàm portentosis mendis hos  
Mimos vindicauerimus, is conferat cum his, quos ante  
nostram æditionem habebant vulgati codices. Vale Le-  
ctor, & fruiere.

**Alienū est oē quicquid optando euenit.**

*Sensus est, Id quod nostro studio paratur, vere nostrū  
est: quod votis contingit, alienum est, nempe quod fortu-  
na possit eripere.*

**Ab alio expectes, alteri quod feceris.**

*Qualis fueris in alios, tales alij futuri sunt in te.*

**Animus uereri qui scit, scit tuto aggredi.**

*Qui intelligit periculum, is nouit cauere periculum.  
Temeritas autem periculose rem aggreditur, quia nescit  
timere.*

**Auxilia humilia firma consensus facit.**

*Concordia fortia facit, etiam quæ sunt imbecillia: con-  
tra discordia maximas opes debilitat.*

**Amor animi arbitrio sumitur, non po-  
nitur.**

*Nobis in manu est non incipere amare, ubi cœperis,  
iam illi seruus es, nec potes excutere cum velis.*

**Aut amat, aut odit mulier, nihil est ter-  
tium.**

*Mulier*

Mulier nimis est vehemens in utraq; partē, animal affectibus obnoxium. Quanquā huiusmodi viros etiā non paucos reperias, nimis in utraq; partem vehementes.

Ad tristem partem strenua suspitio.

Qui parum sunt felices, magis laborant suspitione. Vel sic: Suspitio plerunq; vergit in partem deteriolem. Strenua hic citam ac propensam significat.

Ames parentē si æqu<sup>o</sup> est, si aliter, feras.

Bonum parentē ama, difficile tolera, vel ob hoc, quia pater est. Sequus dixit, pro commodo & humano.

Aspicere oportet, qd̄ possis deperdere

Serua quod nolis perire. Oculus autem, hoc est presentia domini, optimus rei custos.

Amici vitia si feras, facis tua.

Tibi imputabitur quicquid peccat amicus: cum non admoneas.

Aliena homini ingenuo, acerba est servitus.

Alijs servire durum est ei, qui liber sit natus, & alijs imperare solitus.

Absentem lædit, cum ebrio qui litigat.

Mens enim ebrij non adest, cum qua loquendū est. Itaq; perinde est, ac si non adesset ipse.

Amans iratus multa mentitur sibi.

Multa enim constituit in animo, quæ non præstat potest. Ego ne illam, quæ me, quæ illum?

Auarus ipse miserix causa est suæ.

*Nam sua sponte & volens pauper est,*

Amans quid cupiat scit, quid sapiat, nō uidet.

*Amans sine iudicio cupit, nec expendit, salubre sit, an perniciosum, id quod cupit.*

Amans quod suspicatur uigilans, somniat.

*Qui amant, ipsi somnia fingunt, et inani spe sibi blandiuntur.*

Ad calamitatem quilibet rumor ualet.

*Tristia facile sparguntur in vulgus: quæ recta sunt et honesta, vix creduntur.*

Amor extorqueri non potest, elabi potest.

*Amor non potest subito, viq̄ expelli, sed paulatim potest elabi.*

Ab amante lachrymis redimas iracundiam.

*Amans iratus lachrymis placatur.* (diam.

Aperte mala cum est mulier, tum demū est bona.

*Fucatiū et fraudulentū est animal mulier, eoq̄ minime noxia, cū palam est mala. Indicat hic nullā esse bonā.*

Auarum facile capias, ubi non sis idē.

*Auarum nō potest ferre auarus. Vel, Facile fallas, auarum, nisi sis idem quod ille est, id est auarus & ipse.*

*Amare*



Amare & sapere uix deo conceditur.

*Nō est eiusdē amare, et sana mētis esse. Perinde quasi uelis cū ratione insanire, quemadmodū habet Terētius.*

Auarus nisi cū moritur, nil recte facit.

*Etenim cum moritur, tum demum permittit alios suis opibus frui.*

Astute dum cælatur, se ætas indicat.

*Senectus cælari non potest. Nisi forte sic legendū est, Astu crimen cælatur, etas indicat. Tempus enim aperit omnia.*

Auarus damno potius q̄ sapiens dolet.

*Sapiens non cruciatur damnis rerum, sed is, qui magnificat pecuniam.*

Auaro qd mali optes? ni, ut uiuat diu.

*Propterea quod miserrime uiuat. Summum igitur malum optat auaro, qui optat diuinam uitam.*

Animo dolenti nil oportet credere.

*Quandiu doles, ne quid tibi ipsi fidas. Nihil enim sani suadet dolor. Expecta donec residat ægritudo, tum statue quid uelis loqui aut facere.*

Alienū nobis, nostrū plus alijs placet.

*Sux queng, sortis pœnitet. Aliena miratur, uerbis duntaxat. Caterum si ad rem uentum sit, pauci uelint cum alijs commutare.*

Amare iuueni fructus est, crimen seni.

*Amor uoluptas est in iuuenē, scelus in senē, non uoluptas.*

Anus cum ludit, morti delicias facit.

*Annum vicinam morti non decet lusus: videtur enim mortem delectare velle.*

Amoris uulnus idem qui sanat, facit.

*Desiderij uulnus sanat idem qui fecit, si sui copiam faciat. Allusit autem ad Telephi fabulam.*

Ad pœnitendum properat, cito qui iudicat.

*Ne statim pronuncies. Nam præcipitati iudicij sepe pœnitet.*

Amicos res optimæ parāt, aduersæ probant.

*Et hoc carmen deprauatum est: forte sic legendum: Amicum optimæ res parant, tristes probant. Secunda fortuna conciliat amicos, aduersa explorat ficti sint, an veri.*

Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior.

*Hoc est carmen trochaicum. In mala re quo magis excellis, tanto sceleratior es. Veluti miles, quo melior est, hoc vir nequior.*

Arcu intentio frangit, animū remissio.

*Arcus frangitur, si nimium tendas. Animi vires augetur exercitatione, otio franguntur.*

Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.

*Beneficium*

*Beneficium precibus extortum, magnam gratie partem perdidit. Quod ultro oblatum est id bis gratum.*

**Beneficiū dare qui nescit, iniuste petit.**

*Nō debet uti beneficijs aliorū q̄ ipse nemini benefacit.*

**Bonum est fugienda aspicere alieno in malo.**

*Item Plautus, Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. Quid tibi sit fugiendum, id discas non tuo malo, sed ex aliorum malis exemplum sumito.*

**Beneficiū accipe, libertatē uendere est.**

*Felicius est dare, quā accipere. Perdit enim libertatem, quisquis vitur alterius beneficio.*

**Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.**

*Nulla fortuna secunda est, quæ nō alicuius malo contingat.*

**Bis enim mori est, alteri<sup>9</sup> arbitrio mori.**

*Mortem naturalem equiore animo ferunt homines, adactam grauius.*

**Beneficia plura recipit, q̄ scit reddere.**

*Ingratis nemo plura committit. Quos experimur gratos, in hos maiora conferimus.*

**Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas.**

*Nam & illum adiuuas, & te eiusdem malefactorum facis.*



Bonus animus læsus, grauius multo ira  
scitur.

*Lenis animus cum incandescit, uehementius commo  
uetur.*

Bona mors est homini, uitæ quæ extin-  
guit mala.

*Miseris mors est optanda quoque, ut quæ finem adfe  
rat malorum.*

Beneficiū dādo accepit, q̄ digno dedit.

*Hunc uersum nominatim citat Aulus Gellius inter  
Mimos Publianos.*

Blanditia, nō imperio fit dulcis Venus.

*Iucundum est, cum ex animo quis redamatur, non  
cum extorquetur mulieris obsequium.*

Bonus animus nunquam erranti obse-  
quium accommodat.

*Qui probus est ipse, nunq̄ alteri peccāti assentitur.*

Beneficium se dedisse qui dicit, petit.

*Cōmemoratio beneficij dati, est repositis gratiam.*

Cōiunctio animi, maxima est cognatio.

*Arctius alligat mutua beneuolentia, quàm affinitas  
sanguinis. Forte uersus hic ita legendus est:*

*Beneuolus animus maxima est cognatio.*

*Nam & hoc modo carmen constat, et in hac litera, nem  
pe B, reperiatur.*

Beneficium sæpe dare, docere est redde

re.

Qui

*Qui sepius bene meretur de aliquo, is prouocat ad gratitudinem, quadam pertinacia benefaciendi.*

Bonitatis uerba imitari, maior malitia est.

*Qui malus est, et bene loquitur, is plus q̄ malus est.*

Bona opinio homini tutior pecunia est

*Tutius est habere bonam famam, quam diuitias.*

Bonum tametsi supprimitur, non extinguitur.

*Veritas & iustitia premi potest ad tempus sed emergit postea.*

Bis uincit, qui se uincit in uictoria.

*Qui moderate utitur uictoria, is uincit primum hostem, deinde animum.*

Benignus etiam dandi causam cogitat.

*Qui liberalis est, non expectat ut rogetur, sed ultro querit occasionem largiendi.*

Bis interimitur, qui suis armis perit.

*Magis dolet nobis calamitas, cuius ipsi ministrauimus occasionem. Veluti si quis hominem euehat ad magistratum, à quo postea subuertatur.*

Bene dormit, qui non sentit quam male dormiat.

*Cum abest sensus mali, nihil est mali. Veluti si quis alio somno obrutus, non sentiat incommoditatem strati.*

Bonorum crimen est officiosus miser.

*Si cala-*

*Si calamitosus est, qui recte viuit, hoc imputatur vir-  
tuti, cui dicunt aduersari fortunam. Vel sic: Quum eget  
necessarijs vir probus, in dedecus vergit bonorum viro-  
rum, qui virtuti non habeant honorem.*

**Bona fama in tenebris proprium splen-  
dorem obtinet.**

*Decus recte factorum non potest obscurari: lucet e-  
nim in ipso pectore, si non respondet opinio populi.*

**Bene cogitata si excidunt, nō occidūt.**

*Quod recte proposueris, etiamsi ad tempus excidit a-  
nimo, tamen non omnino perit.*

**Bene perdit nummos, iudici quum dat  
nocens.**

*Qui corrumpit iudicem pecunia, quum sit nocens,  
perdit eam, sed suo bono. Proinde bene perdit.*

**Bonis nocet, quī quis pepercerit malis.**

*Fit iniuria bonis, quum impunitas datur malis. Pau-  
ciores enim boni futuri sunt, si liceat impune malos esse.*

**Bono iustitiæ, proxima est seueritas.**

*Seueritas enim est iustitia rigidior & exactior, ver-  
gens tamen ad inclementiam.*

**Bonū apud uirū cito moritur iracūdia.**

*Apud malos viros ira tardissime senescit, apud bo-  
nos cito.*

**Bona turpitudine est, quæ periculum in-  
dicat.**

*Aut sic,*



*Aut sic, quæ periculum vindicat. Satius est pudere, quàm pigere. Pudor utilis est, per quẽ arcemur ab his, quæ periculose fecerimus.*

**Bona comparat præsidia misericordia.**

*In alios misericors, meretur ut in ipsũ fauentes sint alij si quid inciderit.*

**Bonarum rerũ cõsuetudo pessima est.**

*Vilescit quod consuetum esse cœperit. Bonis rebus nihil debet esse charius. Charum est autẽ, quod rarum est.*

**Beneficiũ dignis ubi das, oẽs obligas.**

*Virtuti enim datur, non homini. Et tuo beneficio bonus in ceteros omnes utitur.*

**Crudelis in re aduersa est obiurgatio.**

*Consolandus est amicus, non obiurgandus in rebus afflictis.*

**Cauendi nulla est dimittenda occasio.**

*Nunquam satis caueris. Aliquando nocendi est omittenda occasio, cauendi nunquam.*

**Cui semper dederis, ubi neges, rapere imperas.**

*Qui adsueuerit semper accipere, is putat iã sibi deberi quod datur, adeo ut si negaris, paratus sit eripere vi. Hoc ad magnates peculiariter attinet.*

**Crudelẽ medicũ intemperans æger facit.**

*Ægroti intemperantia facit, ut medicus cogatur ad duriora remedia descendere, nempe sectionem, aut vstionem, & similia.*

Cuius mortem amici expectant, uitam oderunt.

*Eius vita fuerit iniussa oportet, cuius amici mortem optant.*

Cum inimico nemo in gratiã cito redit.

*Non est statim fidendum inimico. Facile dissoluitur beneuolentia, at non facile sarcitur. Et ira omnium tardissime senescit.*

Citius uenit periculũ, cũ cõtemnitur,

*Magis nocet periculum his qui negligunt, quàm qui cauent.*

Casta ad uirũ matrona parẽdo imperat.

*Pudica uxor hoc impetrat obsequio suo, ut quicquid uelit, faciat maritus: et magis impetrat cum obsequitur, quàm cum exigit.*

Cito ignominia fit, superbi gloria.

*Arrogantiam semper sequitur infamia. Et qui insolenter utitur gloria, incidit in ignominiam.*

Cõsilio melius uincas, quàm iracũdia.

*Ira præceptus est, prudentia sedata. Hac citius efficias quæ uoles, quàm uolentia & ferocia.*

Cuius dolori remedium est patientia.

*Omnis dolor lenitur patientia. Alia alijs malis sunt remedia, at patientia commune est malorum omnium lenimentum.*

Cũ uitia profunt, peccat q̄ recte facit.

*Cum expedit esse malos, tum nocet esse bonos. Et quā  
præmiū est malefactis, tum benefactis pœna est.*

Contemni est leuius, q̄ stultitia percuti.

*Satius est contemni ob virtutem, quā stultum quid  
agere.*

Comes facundus in uia ꝑ uehiculo est.

*Et hic versus citatur ab Aulo Gellio. Iucundus con-  
fabulator facit, ut non sentias viā tadium, perinde ac si  
uehiculo porteris.*

Cito improborū læta in perniciē cadūt.

*Non est diuturna malorum felicitas.*

Crimē relinquit uitæ, q̄ mortē appetit.

*Videtur accusare uitam suam, qui mortem appetit.*

Cui plus licet quā par est, plus uult  
quā licet.

*Hunc versiculum adscripsi ex Gellio. Cui plus permis-  
titur quā æquum est, is plus sibi sūmit quā oportet.  
Hoc conuenit in tyrannos, & uxores.*

Discipulus est prioris, posterior dies.

*Quotidiana rerū experiētia reddimur prudentiores.*

Damnare est obiurgare, cū auxilio est  
opus.

*Cum amicus afflictus eget auxilio, tum obiurgare  
non est officiosum, sed damnare est. Primum eximendus  
est calamitati, postea obiurgandus, quod sua culpa in e-  
am inciderit.*



Diu apparandum est bellum, ut uincas  
celerius.

*Qui in aggrediendo nimium properant, aliquando  
tardius conficiunt. Mora in apparando non dispendium  
est, sed lucrum ad negotium cito conficiendum.*

Dixeris maledicta cuncta, quum ingra-  
tum hominem dixeris.

*Ingratitudo omnia vitia in se complectitur. Nullum  
igitur conuictum dici potest contumeliosius. Versus est  
Trochaicus.*

De inimico ne loquere malū, si cogites.

*Si cogitas nocere inimico, caue loquaris male, cauebit  
enim ille. Stultum est igitur maledicere. Nam si amicus  
est, inique facis: si inimicus, minus illi nocebis.*

Deliberare utilia, mora tutissima est.

*Tutissimum est esse lentas consultationes. Nam prae-  
cipitata consilia plerumq; sunt inauspicata.*

Dolor decrescit, ubi quo crescat, non  
habet.

*Quum malum venerit ad summum, tum necesse est  
ut fiat remissius.*

Dediscere flere foeminā, est mendaciū.

*Id est, foemina nunquam hoc dediscet.*

Discordia fit charior concordia.

*Amantium ira, amoris redintegratio est.*

Deliberandum est diu, quod statuendū  
est semel. De

*De quo non potes nisi semel statuere, veluti de matrimonio, de sacerdotio, de hoc diu deliberandum est priusquam aggrediaris.*

**Difficile oportet aurē habere ad crimine**  
*Ne facile credas accusanti quempiam.* (na.

**Dum uita grata est, mortis conditio optima est**

*Tum optimū est mori, cum adhuc dulce est viuere.*

**Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.**

*Lucrum cum iactura fama, damnū est, non lucrum.*

**Ducis in cōsilio posita est uirtus militū**  
*Frustra sunt fortes milites, ni ducis prudētia regātur.*

**Dies quod donat timeas, cito raptū uenit**  
*Quod subito contingit, subito solet auferre fortuna.*

*Fortasse teneas legendum, pro timeas.*

**Dimissum quod nescitur, non amittit.**  
*Non est damnum quod non sentis.*

**Etiam innocētes cogit mentiri dolor.**

*In tormentis saepe mentiuntur & innocentes, adacti cruciati.*

**Etiam peccato recte præstatur fides.**

*Adeo seruanda est fides, ut etiam malis in rebus aliquando præstanda sit.*

**Etiam celeritas in desyderio mora est.**

*Cupienti etiam festinatio videtur mora.*

Ex uitio alterius, sapiens emendat suū.

*Ex alienis erratis sapiēs colligit, quid sit sibi cauendū.*

Et deest & superat miseris cogitatio.

*Deest, quia non vident quo pacto possint mederi malis: & superest, quia intelligunt quid debuerint cauere, sed sero.*

Etiam obliuisci quod scis, interdum expedit.

*Quaedam huiusmodi sunt, ut sint dediscenda. Legi poterat, quod sis, ut sit sensus: Expedit aliquoties meminisse magis quid præsens tempus & res postulet, quam tua dignitas.*

Ex hoīum quæstu, facta fortuna est dea.

*Studium lucri facit, ut fortuna credatur esse dea, qua faueat. Aut (Ex quæstu) id est, querimonia. Nam illi imputant, si quid acciderit.*

Effugere cupiditatē, regnū est uincere.

*Vincere auaritiam, aut iram, plus est quàm regnū.*

Exuli ubi nusquam domus est, sine sepulchro est tanquam mortuus.

*Opinor ita legendum:*

Cui nusquā domus est, sine sepulchro est mortuus.

*Id est, Exul qui nusquam habet domum, perinde est ut mortuus insepultus, aut cui non est sepulchrum. Exilium enim mors est ciuilis.*

*Etiam*



Etiam qui faciunt, odio habent iniuriã.

*Nolunt sibi fieri iniuriam, nec ij, qui faciunt alijs.*

Eripere telum, non dare irato, decet.

*Irato non est danda occasio nocendi, sed potius adimenda.*

Se denegare patriæ, exilium est pati.

*Sic enim versiculum hunc mutauimus.*

*Qui latet & non versatur in Republica, is sua sponte exul est.*

Etia capillus unus habet umbrã suam.

*Nihil est tam minutum, quod non possit aliquid.*

Eheu quàm miserum est fieri metuedo senem.

*Miserrimum est consensescere metu mali, quod nondum aduenerit.*

Etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem.

*Qui sequitur quod dicitur fides, non quod dolor, is etiam hostibus erit æquus.*

Excelsis multo facilius casus nocet.

*Ex alto cadentibus periculosior est ac facilior ruina. Ita periculosius deijciuntur ex alta fortuna.*

Fidem qui perdit, quo se seruet in reliquum?

*Qui perdit pecuniam, habet in quod se seruet: qui fidem, nihil habet cui se seruet.*

Fortuna cum blanditur, captatū uenit.

*Insidiatur fortuna cum blanda est, ita tum maxime habenda est suspecta, cum maxime prospera est.*

Fortunā citius reperias, quā retineas.

*Difficillimum est retinere fortunam, ne mutetur. Et maior virtus est tueri parta, quā parare.*

Formosa facies muta cōmendatio est.

*Fauetur enim formosis, etiamsi nihil dicant.*

Frustra rogatur, q̄ misereri non potest.

*Qui non potest mollescere precibus, quid opus est hūc rogare?*

Fraus est accipere, quod non possis red-  
dere.

*Dolus est accipere beneficium à quoquam, cui non possis tantundem reddere.*

Fortuna nimiū quē fouet, stultū facit.

*Magna felicitatis comites sunt stultitia, et arrogātia.*

Fatetur facinus is, qui iudicium fugit.

*Qui detrectat iudiciū, indicat se sibi male consciū esse.*

Felix improbitas, optimorum est calamitas.

*Quoties fortuna fauet improbis, hoc fit calamitate et malo optimorum.*

Feras, nō culpes, quod uitari nō potest.

*Hic versus nominatim citatur à Gellio.*

*Quod mutari corrigiq̄ nō potest, id tacite ferendum est, non vituperandum.*

*Futura*

Futura pugnant, ut se superari finant.

*Sic instant futura mala, ut tamen vinci vitariq; possint prudentia.*

Furor fit, læsa sæpius patientia.

*Et hoc carmen citatur à Gellio. Lenes cum sæpius provocantur, tandem irritati gravius irascuntur, quia rariùs & serius commouentur.*

Ficta cito ad naturam redierint suam.

*Simulata non diu durant. Et iuxta Flaccum: Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Ordo carminis inuersus est.*

*Cito ad naturam ficta redierint suam.*

Fidē qui perdit, nil potest ultra perdere

*Omnia perdidit, qui fidem perdidit. Pote legendum, pro potest.*

Facilitas animi ad partē stultitiæ rapit.

*Facile adducitur ad vitia, qui facilis est animo, ut Mitio ille Terentianus, qui ob facilitatem sexagenarius novus factus est maritus.*

Fides ut anima, unde abiit, nunquam eò redit.

*Ut vita semel amissa, nunq̄ reuertitur: sic nec fides. Iuxta illud: Qui semel scurra, nunq̄ bonus paterfamilias.*

Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet.

*Pecuniam non perdit, nisi qui habuit. At fidē is dicitur*



*tur perdidisse, qui non habuit, id est, qui perfidus fuit.*

Fortuna obesse nulli contēta est semel.

*Nullum malum venit sine incurſu alterius mali.*

Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia.

*Versus est Trochaicus. Potens cum irascitur, fulminat, non irascitur.*

Frustra cum ad senectam uentum est, re-  
petes adolescentiam.

*Et hic Trochaicus est. Non licet reuiueneſcere. Proinde ſeni tractanda ſunt ſenilia.*

Falsum maledictum, maleuolum mendacium est.

*Qui conuiciatur & mentitur, is malitioſe mentitur.*

Fœminæ naturam regere, desperare est omnium.

*Omnes deſperant ſe poſſe regere mulieris ingenium.*

Fer difficilia, ut facilia leuius feras.

*Exerce te rebus difficilioribus, ut alia facilius feras.*

Fortuna nulli plus q̄ conſilium ualeat.

*Conſilium plus efficit, quam felicitas.*

Fortuna uitrea est, quæ cum splendet, frangitur.

*Vitrum cum maxime lucet, tum facillime frangitur.*

*Ita ſplendidiſſima fortuna minime durabilis eſt.*

Feras quod lædit, ut quod prodeſt per-  
feras.

Vt po-

*Ut potiare commodo,feras incommodum.*

**Facit gratū fortuna,quam nemo uidet.**

*Fortuna facit inuidiosum,nisi lateat.Ergo dissimulan-  
da est.*

**Frugalitas miseria est rumoris boni.**

*Huc rursum addidi ex Gellio.Esse frugalē,rumor qui  
dē bonus est, sed infelix, et parū vulgo laudatus, cui pro-  
fusio magis placet. Nisi maioris miseriā accipere pro penu-  
ria, siue inopia. Nā tū erit sensus: Qui laudatur frugalis,  
is nō laudatur. Tertius sensus argutissimus est: Frugalitas  
est parsimonia vitii, sed sub honesto laudatoq; nomine.*

**Graue præiudicium est, quod iudiciū  
non habet.**

*Post præiudicia sequuntur iudicia, in quibus excuti-  
untur præiudicia. At graue est illud præiudicium, quod  
non sequitur aliud iudicium, sed ipsum iudicij loco est:  
veluti si princeps præ se ferat animū inimicum in quem  
piam, nullus est iudex, qui secus ausit iudicare.*

**Grauisima est probi hominis iracūdia**

*Vir bonus ut tardior est ad iram, ita grauius irasci-  
tur, si victa sit illius bonitas.*

**Grauis animi pœna est, quem post fa-  
ctum pœnitet.**

*Magnam pœnam dedit, quem pœnitet facti.*

**Grauis animus dubiam non habet sen-  
tentiam.**

*Vir constans certa habet consilia.*

Graue est malum omne, quod sub aspectu latet.

*Malum illud est immedicabile, quod prætextu bonæ rei personatum est. Nam hic aspectum vocat personam.*

Grauius nocet, quodcunque inexper- tum accidit.

*Noua mala grauius dolent.*

Grauior inimicus, qui latet sub pectore.

*Affectus vitiosus maxime nocet homini, at is latet sub pectore, nec potest excuti.*

Grauiissimū est imperiū consuetudinis.

*Consuetudo planè tyrannidem quandam obtinet in rebus humanis, adeò ut stultissima quoque, si semel inoleuerint, reuelli non possint.*

Graue crimen, etiam cum dictum est leuiter, nocet.

*Veluti si quis apud Anglos, vel ioco vocet aliquem proditorem, non caret periculo, ob odium criminis.*

Heu quàm difficile est gloriæ custodia.

*Fama honesta facillime contaminatur, & difficilior est eam tueri, quàm parare.*

Homo extra corpus est suum, cum irascitur.

*Non est apud se quisquis irascitur. Respondet illi superiori: Absenti loquitur qui cum irato litigat.*

*Heu*



Heu quod est timendus, quod mori tutum putat.

*Qui mortem contemnit, is vehementer est timendus, propterea quod aliena vita dominus est quisquis sua contempтор est.*

Homo qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.

*Intelligit enim sibi posse accidere, ut sit opus auxilio. Versus est Trochaicus.*

Est honesta turpitude, pro bona causa mori.

*Gloriosa est infamia, vitam impendere iustitia. Et hic Trochaicus est.*

Habet in aduersis auxilia, qui in secundis commodat.

*Et hic Trochaicus est. Qui cum feliciter agit, alijs subuenit, huic alijs subuenient in rebus aduersis.*

Heu quam miserum est laedi ab illo, de quo non possis queri.

*Et hic Trochaicus est. Durum est laedi vel ab amico, vel a potente, quod queri de altero non est honestum, de altero non est tutum.*

Hominem experiri multa, paupertas iubet.

*Paupertas ingeniosa est, & artium repertrix. Et: Ingenium mala saepe mouent, iuxta Nasonem.*

Heu dolor, quod miser est, qui in tormento uocem non habet. Et

*Et hic Trochaicus est. In tormentis verum exquiruntur. At quidam ita torquentur, ut non ausint verum dicere, scientes quid velit taceri, qui torquet.*

Heu quàm pœnitenda incurrunt homines uiuendo diu.

*In longa vita multa accidunt, quæ nolis. Hic quoque Trochaicus est.*

Habet suum uenenum blanda oratio.

*Insidiosa est blandiloquentia, & melle litum uenenum.*

Homo toties moritur, quoties amittit suos.

*Orbitas mors quædam est.*

Homo semper in sese aliud fert, in alterum aliud cogitat.

*Hic est Iambicus tetrameter. Nemo non est dissimulator.*

Honestus rumor, alterum est patrimonium.

*Tantumdem ferè valet honesta fama, quantum patrimonium.*

Homo nescit, si dolore fortunam inuenit.

*Non sentitur dolor, quo paratur aliquid commodi.*

Honeste seruit, qui succubit tempori.

*Honestum est seruire tempori, & cedere fortunæ ad tempus.*

Homo uitæ cõmodatus, nõ donat<sup>s</sup> est.

*Vita datur ad tempus, ut qui dedit, exigat suo iure  
quandocumq; velit.*

**Hæredē scire, utilius est quàm querere.**

*Quidam codices habēt ferre, pro scire. Satius est ferre  
qualemcumq; hæredē, quàm nullū habere. Si legas scire,  
sensus est: Præstat habere liberos quibus tua relinquant,  
quàm circumspicere alienos, quibus tua relinquant.*

**Hæredis fletus, sub persona risus est.**

*Hic quoq; versus citatur à Gellio. Fletus hæredis, est  
risus personatus, id est dissimulatus: gaudet enim etiam si  
fleat.*

**Habent locū maledicti crebræ nuptiæ.**

*Vulgus male sentit de muliere sæpius nupta.*

**Inferior horret, quicquid peccat supe-  
rior.**

*Quod principes peccant, id recidit in malum plebis.*

**Inimicum ulcisci, uitam accipere est al-  
teram.**

*Incundissima res est vindicta, & velut altera vita.  
Primum uitam tuetur suam, deinde capit voluptatem  
ex ultione.*

**Id agas, ne quis tuo te merito oderit.**

*Odium effugere non possumus: ne quis nos merito ode-  
rit, id cauere possumus.*

**Inuitum cum retineas, exire incitas.**

*Qui non cupit manere, hunc quo magis retines, hoc  
magis cupit abire.*

Inge-



Ingenuitatē lædis, cum indignū rogas.

*Seruile est supplicem esse homini indigno. Læditur igitur ingenuitas.*

In nullū auarus bon⁹ est, in se pefsimus.

*Nulli benefacit auarus, se vero etiam discruciat custodia rerum suarum.*

Inopi beneficiū bis dat, q̄ dat celeriter.

*Bis gratum est beneficium, quod statim prompteq̄ datur egenti.*

Instructa inopia est, in diuitijs cupiditas

*Cupere cum abundes, inopia quadam est, non expedita, sed instructa & onusta, quasi dicas, diues inopia.*

Inuitat culpā, qui peccatum præterit.

*Qui dissimulat peccatū, is inuitat ut iterū peccetur.*

Iucundum nihil est, nisi quod reficit uarietas.

*Nihil tam dulce quod non pariat satietatem, nisi uarietate conditur.*

Ingenuitas non recipit contumeliam.

*Generosi et ingenui animi est, negligere contumeliā. Aut sic: Generosus animus impatiens est contumeliæ.*

Impune peccat in eū, qui peccat rarior.

*Fortē sic legendū est: Impune peccat, cum quis peccat charior. Aut, Impune peccat, cum quis peccat rarius.*

Ingratus unus, miseris omnibus nocet.

*Vnius hominis ingratitude facit, ut nec gratis succurratur cum egent.*

In miseri uita nulla contumelia est.

*Hoc carmē varie repperi deprauatū. Et haud scio an recte diuinarim. Non videtur contumelia, quam facis in hominē malum et infelicē. Nisi sic maui: In uitia miseri contumelia est dicere: id est, contumeliæ genus est infestari uitia hominis miseri, qui magis eget consolatione.*

Inopiæ parua defunt, auaritiæ omnia.

*Videtur hic versus deprauatus. Nam in controuersijs Seneca citat huiusmodi Publij carmen:*

*Luxuriæ defunt multa, auaritiæ omnia.*

*Quanquam hic quoque versus constabit, si legas inopia defunt parua, siue pauca, quod ego malim. Multa desiderat pauper ad uitæ usum, sed auarus magis eget, qui nec id habet quod habet.*

Ita amicum habeas posse ut fieri inimicum putes.

*Et hic citatur à Gellio. Sic ama tanquã osurus. Ita cõfidas amico, ut si fiat inimicus, nõ multum possit lædere.*

Inuidiã ferre, aut fortis, aut felix potest.

*Fortunati negligunt inuidiam, vir fortis contemnit.*

In amore mendax semper iracundia.

*Eadem est sententia, quam ante dixit:*

*Amans iratus multa mentitur sibi.*

Inuidia tacite, sed minute irascitur.

*Inuidus habet iram suam, sed dissimulatam & minutam, hoc est, de re nihili.*

*Iratum*

Iratum breuiter uites, inimicum diu.

*Ira statim subsidit, odium diuturnum est.*

*Odit autem quisquis est inimicus. Ab hoc igitur diu cauendum est, imo semper. Hoc ipsum admonet sapiens Hebraeus, Ab hoste reconciliato cauendum.*

Iniuriarum remedium est obliuio.

*Vindicta non medetur iniurijs tibi factis, sed obliuio optime.*

Iracundiam qui uincit, hostem superat maximum.

*Trochaicus est. Fortissimi est iram suam vincere. Hoc Alexander ille magnus orbis domitor non potuit.*

In malis sperare bonum, nisi innocens nemo solet.

*Et hic Trochaicus. Bona conscientia facit, ut in malis speremus superos auxiliaturos.*

In uindicando, criminosa est celeritas.

*Quidam habent in iudicando. Ne sis praecipus vel ad ultionem, vel ad iudicandum.*

Inimicum quamuis humilem, docti est metuere.

*Sapientis est, non contemnere hostem quantumuis humilem, potest enim per occasionem nocere.*

In calamitoso, risus etiam iniuria est.

*Miseri risu etiam offenduntur. Et quibus res sunt minus secundae, ad suspicionem mali rapiunt etiam casu dicta.*



Iudex damnatur, cū nocēs absoluitur.

*Cum absoluitur nocens, tunc iudex non innocens sit oportet.*

Ignoscere humanum, ubi pudet cui ignoscitur.

*Non ignoscendum est, nisi pœniteat facti.*

In rebus dubijs plurima est audacia.

*Forte legendum est plurimum, vel plurimi. Multum valet audacia cum res est dubia, hoc est periculosa.*

Illo nocens se damnat, quo peccat die.

*Quisquis admittit scelus, ilico sibi damnatus est iudice conscientia, etiamsi iudex nemo pronuntiet.*

Ita crede amico, ne fit inimico locus.

*Idem dixit antea: Ita amicum habeas.*

Iratus etiam facinus consilium putat.

*Qui irascitur, etiam scelus putat iudicio recte q̄ fieri. Aut, iratus ladi se putat ab eo, qui bene consulit.*

Improbe Neptunum accusat, qui iterū naufragium facit.

*Hoc addidit ex Gellio. Qui semel expertus, iterū exponit se periculo, impudenter accusat fortunam. Est autem & hic Trochaicus tetrameter.*

Loco ignominia est apud indignum dignitas.

*Honor commissus indigno, non honestat eum, sed magis dedecorat.*

Laus ubi noua oritur, etiam uetus ad-  
mittitur.

*Si iterum recte facies, efficies, ut superiori de te fama  
fidem habeant homines.*

Læso doloris remedium inimici dolor.

*Suum malum minus sentit, qui potest ulcisci.*

Leuis est fortuna, cito reposit, quæ de-  
dit.

*Fortuna inconstans statim repetit & aufert, si quid  
dedit.*

Lex uniuersi est, quæ iubet nasci & mori

*Necessitas nascendi ac moriendi, neminem non com-  
plectitur.*

Lucrum sine damno alterius fieri non  
potest.

*Vnius lucrum damnium est alterius. At non item in  
rebus animi.*

Lasciuia & laus nunquam habent con-  
cordiam.

*Intemperantia semper obnoxia est infamiae.*

Legem nocens ueretur, fortunam inno-  
cens.

*Innocens etsi non ueretur leges, ut nocens, tamen ti-  
met fortunam, quæ nonnunquam opprimit innocentem.*

Luxuriæ defunt multa, avaritiæ omnia.

*Huc uersum Seneca citat in cōtrouersijs. Multis eget  
profusor,*

*profusus, avarus eget omnibus. Illi multis est opus, qui multum absument: huic nihil est satis quoniam sit insatiabilis.*

**Malignos fieri, maxime ingrati docent.**

*Ingrati faciunt, ut qui benigni fuerint, contractius donent. Hos enim malignos vocat, id est, parcos.*

**Multis minatur, qui uni facit iniuriam.**

*Omnes expectant iniuriam ab eo, qui uni fecerit.*

**Mora omnis odio est: sed facit sapiētiā.**

*Molesta est mora in omni re: tamen ea nos reddit sapientes, ne quid agamus temere aut inconsulto.*

**Mala causa est, quæ requirit misericordiam.**

*Innocentia non eget misericordia, sed æquum desiderat iudicem. At quum fiducia rei tota est in misericordia iudicis, pessimam habet causam.*

**Mori est felicis, antequam mortē inuocet.**

*Ille feliciter moritur, qui tum moritur, dum adhuc iucunda est vita, ac nondum huius radio mortem optat. Quidam codices pro felicis habent felicis.*

**Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui.**

*Durum est quum non licet loqui, quod velis. Nam illic multo minus licebit facere quæ velis, si loqui non licet.*

**Miserrima est fortuna, quæ inimico caret.**

*Felicitas incitat inimicitias. Ergo cui nullus invidet, is miserrimus sit oportet.*



Malus est uocandus, qui sua causa est bonus.

*Qui benefacit commodi sui causa, is male facit.*

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus.

*Disimulata malitia pessima est.*

Metus cum uenit, rarum habet somnus locum.

*Timor abigit somnum. Aut non est dormitandum in periculo.*

Mori necesse est, sed non quoties uolueris.

*Aliquando optant mortem homines, cum mori non possint. At semel duntaxat moriendum, nam à morte non datur reuiuiscere. Hoc dictum aduersus eos, qui quoties accidit aliquid in vita molesti, mortem optant, quasi liceat reuiuiscere.*

Male geritur, quicquid geritur fortunæ fide.

*Quod à fortuna pendet, id parum est firmum.*

Mortuo qui mittit munus, nil datilli, adimit sibi.

*Olim solebant inferias exhibere mortuis, hoc perit uiuis, & nihil accipit mortuus. Trochaicus est.*

Minus est quàm seruus, dominus qui seruos timet.

*Intra seruos est, qui seruos suos timet, nempe male sibi conscius.*

Magis hæres fidus nascitur, quàm scribitur.

*Filius nascitur hæres, hæredipeta scribitur. Hoc aduersus illos, qui fraudatis ijs, quos natura coniunxit, ob offensam aliquam res suas ad alienos transferunt.*

Malo in cõsilio foeminæ uincunt uiros.

*In rebus malis, plus sapiunt foemina, quàm uiri.*

Mala est uoluptas, alienis assuescere.

*Dulcis cibus alienus: sed fœda uoluptas est, assuescere alienis.*

Magno cū periculo custoditur, quod multis placet.

*Trochaicus est. Difficile est seruare quod expetunt multi, ueluti pecuniam, aut formosam uxorem.*

Mala est medicina, ubi aliquid naturæ perit.

*Medicina quæ ledit naturam, dura est, uelut quæ membrum aufert.*

Mala naturæ nunquã doctrina indigent.

*Ad mala uel citra doctore sumus idonei, uirtus discitur.*

Miseriã nescire, est sine periculo uiuere.

*Qui sine periculo uiuit, is feliciter uiuit.*

*Vita tuta quamuis humilis, felicissima est.*

Male uiuunt, qui se semper uicturos putant.

*Semper enim prorogant in crastinum, si quid est voluptatis, aut bonæ rei.*

**Maledictū interpretando facies acrius.**

*Quidam excusant conuiciū interpretatione, atq; ita magis irritant.*

**Male secum agit eger, medicum qui hæredem facit.**

*Inuitat enim vt occidat.*

**Minus decipitur, cui negatur celeriter.**

*Minus enim diu sperat, & frustratur leuius.*

**Mutat se bonitas, quum irrites iniuria.**

*Boni fiunt mali, si prouoces.*

**Mulier quū sola cogitat, male cogitat.**

*Mulier apud se cogit abunda, aliqd mali voluit in animo. Pudor enim cohibet eū sexū, qui abest in solitudine.*

**Malefacere qui uult, nusquam non causam inuenit.**

*Malis nusquam deest occasio malefaciendi.*

**Maleuolus semper sua natura uescitur.**

*Etiam si deest præmium maleficy, tamen maleuolus fruitur sua malitia, & vel gratis malus est.*

**Multos timere debet, quē multi timēt.**

*Quem multi timent, hunc pauci amant. Is igitur uicissim timeat oportet, à quibus timetur.*

**Male imperando summum imperium amittitur.**



*Summum imperium est bene imperare: id amittitur male imperando. Aut nullum imperium tam potens, quod non amittatur, si tyrannice imperes.*

**Mulier quæ nubit multis, multis non placet.**

*Male audiunt vulgo, quæ sepius mutant maritum. Aut infelices sunt, aut incontinentes, aut inconstantes, aut morose. Quæcumq; enim nubit marito secundo, priori displicuit à quo diuertit.*

**Malum consilium est, quod mutari nõ potest.**

*Nunquã te inuoluas huiusmodi nodo, ut explicare te non possis. Hunc versum adiecimus ex Aulo Gellio.*

**Nihil agere, semper infelici est optimũ.**

*Qui infortunatus est in rebus gerendis, huic optimũ est in ocio viuere.*

**Nil peccent oculi, si animus oculis imperet.**

*Oculos incusamus, quasi ministrent occasionem malarum cupiditatum. At animus in culpa est, qui oculis non imperat.*

**Nil propriũ ducas, quod mutari possit.**

*Nihil existimes vere tuum ac perpetuum, quod possit auferri.*

**Non cito ruina perit uir, q̄ ruinã timet.**

*Fortasse sic legendum, ut sit Trochaicus:*

*Non cito perit ruina, qui ruinam prætimet.*

Id est, non facile opprimitur incommodo, qui praecauet  
incommodum: & non facile opprimitur periculo, qui pe-  
riculum obseruat.

Nescis quid optes aut quid fugias, ita  
ludit dies.

*Iambicus est tetrameter. Ita ludit tempus, & fortu-  
na vicissitudo, ut saepe qua putaris optima, sentias maxi-  
me nocere, & contra.*

Nunquam periculum sine periculo uincitur.

*Et hic citatur à Gellio. Audendum est aliquo pacto,  
si cupias effugere periculum. Nam qui timet omnia, nun-  
quam sese explicabit.*

Nulla tam bona est fortuna, de qua nil  
possis queri.

*Trochaicus est. Felicitati semper aliquid adiunctum  
est incommodi.*

Nusquam melius morimur homines, quam  
ubi libenter uiximus.

*Ibi mori optimū, ubi iucunde uiximus. Trochaicus est.*

Negandi causa auaro nusquam deficit.

*Qui non dat libenter, semper aliquam inuenit cau-  
sam, cur non det.*

Nimum altercando ueritas amittitur.

*Moderata disceptatione ueritas excutitur, at immode-  
rata perditur, id quod prorsus accidit sophisticis quibus-  
dam ac rixosis disputatoribus. Hic versus à Gellio citatur.*

*Quotidie*

Quotidie damnatur, qui semper timet.  
*Qui sibi conscius semper timet supplicium, is quotidie damnatur.*

Quotidie est deterior posterior dies.  
*Semper atas vergit in peius: hoc est, mores hominū indies magis ac magis degenerant.*

Ridiculum est, odio nocentis perdere innocentiam.

*Trochaicus est. Stultum est sic odisse peccatum, ut ipse pecces: veluti si quis ob impudicam uxorem veneno tollat adulterum, & sic puniat adulterium, ut ipse fiat veneficus.*

Pars beneficij est, quod petitur, bene si neges.

*Quidā ita moleste dant, ut gratiam amittāt beneficij. Quidam adeo commode negant, ut videantur dedisse.*

Stultū est timere, qđ vitari non potest.  
*Veluti mortem, aut aliud fatale incommodum.*

Timidus uocat se cautum, parcum fordidus.

*Suis quisq; vitijs blanditur, eaq; extenuat mutatis nominibus.*

Veterē ferendo iniuriā, inuitas nouam.  
*Et hic refertur ab Aulo Gellio. Si finas impunitum peccatum, facis ut iterum libeat peccare.*

Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.



SENTENTIAE

Hunc senarium citat Seneca in controuersijs. *Au-  
rus non magis vitur suis, quam alienis, utriusq; igitur  
ex aequo caret.*

O uita misero longa, felici breuis.

Et hunc refert Seneca. *Infelices laborant uita tadio:  
Felicibus mors ante diem uidetur accedere, quod uita  
tadium non sentiant.*

ALIQVOT SENTENTIAE INSIG-  
nes ex varijs collectae scriptoribus.

PITTACVS.

Difficilia quae pulchra.

Magistratus uirum arguit.

Prudentis est prospicere, ne quid eueniat mali: fortis to-  
lerare, si quid forte obtigerit.

Ne cui calamitatem suam exprobraris.

Uxorem aequalem ducito.

B I A S.

Valere corpore, natura munus est. Diuitiae dantur à for-  
tuna. Sapientia animi bonum est.

Ita dispensa tempus, quasi & diu victurus, & mox mo-  
riturus.

Delibera lente, quod decreueris, constanter urge.

Ne princeps sis ad loquendum.

Pessimi consultores, ira, & precipitantia.

Sapiens omnia sua bona secum portat.

CLEOBYLVS.

Amicos beneficijs foue, quo fiant amiciores: inimicis be-  
nesac, quo fiant amici.

Egressurus

Egressurus domo, tecum expendito, quid foris agere ve-  
lis: domum ubi redieris, quid egeris, reputato.

Audiendi quàm loquendi studiosior esto.

Voluptati frenos inycito.

Vxori presentibus alienis nec blandire, nec iurgium fa-  
cito.

Rebus secundis ne efferaris, aduersis ne deyciaris.

PERIANDER.

Voluptas cito perit, honos immortalis est.

Tuta quies, periculosa temeritas.

In rebus prosperis esto modcratus, in aduersis prudens.

Cura potest omnia.

ANACHARSIS.

De arte non iudicat nisi artifex.

Ex alienis vitijs discere quàm fœda sint.

Linguam, ventrem, & pudenda cohibe.

Potior est amicus insignis, quàm multi vulgares.

THALES.

Difficillimum est omnium, nosse seipsum.

Quæ in alijs damnes, ipse ne feceris.

Amicorum non minus absentium, quàm presentium  
memores esse oportet.

Animus honestis artibus excolendus est potius, quàm  
forma corporis componenda.

Ne quæras fraude ditescere.

Qualem gratiam retuleris parentibus tuis, talem expe-  
cta & à liberis tuis.

SOLOON.

SENTENTIAE

SOLON.

Virtus fidelior est iureiurando.

Quod praeclarum est, accurate agendum.

Amicum ne temere recipito, receptum ne reijcito.

Impera, sed prius edoctus imperio parere.

Aesopus: Cum regibus aut omnino non loquendum, aut  
quae sunt iucundissima loqui oportet.

Solon correxit, aut quae sunt optima, ἢ ἡκίστα ἢ ἡδύ-  
στα, ἢ ἡκίστα ἢ ἀπίστα.

Rationi pareto. Malorum consuetudinem fugito.

In defunctum maledicta ne congerito.

Filius ne parentem alere cogitor, à quo nullam artem e-  
doctus es.

Vita finem spectato.

CHILO LACEDAEMONIVS.

Si dixeris quae vis, audies quae non vis.

Dammum turpi lucro potius esto.

Ne lingua praeuertitor animum.

Quae fieri non possunt, ne tentes.

Index aurum, aurum explorat hominem.

Amato tanquam osurus, uideris tanquam amaturus.

CRISTIPPVS.

Opes eiusmodi tibi para, quae naui fracta, simul cum do-  
mino enatent.

Fortuna bona varij casus eripiunt: bona animi, quae sola  
vere bona sunt, nec incendium, nec naufragium po-  
test eripere.

Disce puer quae viro sunt vsui futura.

THEO-



## THEOPHRASTVS.

Preciosissimus sumptus est tempus.

## ANTISTHENES.

Regium est audire male, quum feceris bene. \*

Satius est εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλωναας, id est in coruos,  
quam in adultores incidere. Illi mortuum exedunt,  
hi viuum etiam.

Quod rubigo ferro, hoc liuor homini.

Fratrum concordia quouis muro tutior.

Præcipua disciplina dediscere mala.

## DIOGENES.

Vir bonus dei simulachrum est. Amor ocioforum est ne-

Miserrima res senex cogens.

(gotium.

Perniciosissime mordent, ex feris bestijs obtrectator, ex  
cicuribus adulator.

Oratio blanda, melleus laqueus.

Venter vitæ Charybdis est.

Formosum scortum, letale mulsum.

Qui præclara loquuntur nec faciunt, citharæ similes sunt,  
quæ sonat alijs, ipsa nec audiens, nec sentiens.

Ridicule faciunt qui in psalterio sonos aptant ligno, ani-  
mum ad recte viuendum non componunt.

Frustra viuit, cui ut bene viuatur, nulla cura est.

Qui forma decorus indecore loquitur, ex eburnea vagi-  
na plumbeum educit gladium.

Serui heris, improbi seruiunt cupiditatibus.

Eruditio iuuenibus sobrietas est, senibus solatium, pau-  
peribus diuitiæ, diuitibus ornamentum.

Nobilitas,

S E N T E N T I A E

Nobilitas, gloria, diuitia, malitia sunt velamenta.

SOCRATES.

Quæ supra nos, nihil ad nos.

Hoc vnum scio, me nihil scire.

CRATES.

Vt in omni malo Punico granum aliquod putre est, ita  
nemo reperitur undiquaq; purus a vitio.

ZENO CITTIIENSIS.

Non qui magnus, statim bonus est: sed quisquis bonus,  
idem & magnus est.

Ideo natura dedit homini aures duas, os unicum, ut plus  
audiamus, quàm loquamur.

Auribus attrahendi sunt homines potius, quàm pallio:  
id est, persuasione magis, quàm violentia.

Lupinum aqua perfusum dulcescit, homo licet natura  
tristior, vino hilarescit.

THEMISTOCLES.

Præstat habere viros egentes pecunia, quàm pecuniam  
egentem viros.

PERICLES.

Amicum esse licet, sed usq; ad aras: id est, amici causa  
non est violanda religio.

LAMACHVS.

Non licet in bello bis peccare.

IPHICRATES.

Indecora sapienti vox, Non putarã, aut Non expectarã.

M. CVRIVS.

Præstantius est imperare aurum habentibus viris, quàm  
habere aurum.

CATO

## CATO SENIOR.

Mirum eam civitatem saluam esse posse, in qua minoris  
veneat bos, quàm piscis.

## MYSONIVS APVD GELLIVM.

ΑΥΤΙ ΠΡΑΞΗΣ ΚΑΛΟΝ ΜΕΤΑ ΠΟΝΟΝ, Ο ΜΕΝ ΠΟΝΟΝ  
ΟΪΧΕΤΑΙ, ΤΟ ΔΕ ΚΑΛΟΝ ΜΕΛΕΙ, ΑΥΤΙ ΠΟΙΟΥΣΙΣ ΑΪΧΡΟΝ  
ΜΕΘ' ΗΔΟΥΗΣ, ΤΟ ΜΕΝ ΗΔΥ ΟΪΧΕΤΑΙ, ΤΟ ΔΕ ΑΪΣΧΡΟΝ  
ΜΕΛΕΙ.

Id est, Si per laborē honesti quippiam egeris, labor abit,  
honestum manet: si per voluptatem turpe quippiam fece-  
ris, voluptas abit, turpitudine manet.

## ERASMVVS ROT. LECTORI. S. D.

Fac memineris Lector, quæ hæcenus legisti, Ethnico-  
rum esse decreta, ut scias cum iudicio esse legenda. Quæ  
nunc leges, ipsius CHRISTI & sanctæ ecclesiæ sunt  
oracula, quæ tuto sequi possis, imò quæ sola beatum pos-  
sint efficere. Proinde sic lege ut rem seriam, ac Vale.

## CHRISTIANI HOMINIS INSTITVTVM

per Erasmus Rot. Ad Gal. 5. Valet in Christo  
fides, quæ per dilectionem operatur.

## F I D E S.

## Credo. Primus articulus.

Confiteor primum ore pio, venerorq; fidei  
Mente deum patrem, vel nutu cuncta potentem.  
Hunc qui stelligeri spatiosa volumina cæli,  
Et solidum omniparæ telluris condidit orbem.

Et ita



CHRISTIANI HOMINIS

Et in Iesum. II.

*Eius item gnatum Iesum, cognomine Christum,  
Quem dominum nobis cognouimus ac veneramur.*

Qui conceptus. III.

*Hunc Maria afflatu diuini numinis, aluo  
Conceptit virgo, peperit purissima virgo.*

Passus sub Pontio. IIII.

*Et graue supplicium immeritus damnante Pilato  
Pertulit, infami suffixus in arbore mortem  
Oppetit, tumulatus homo est, claususq; sepulchro.  
Interea penetrat populator ad infera regna.*

Tertia die. V.

*Mox ubi tertia lux mæsto se prompserat orbi,  
Emersit tumulo superas rediuiuus in auras.*

Ascendit. VI.

*Inde palàm aetheream scandit sublimis in arcem,  
Illic iam dexter patri asidet omnipotenti.*

Iterum uenturus. VII.

*Idem olim rediturus, ut omnem iudicet orbem,  
Et viuos pariter, vitæq; & lumine cassos.*

Credo in spiritum. VIII.

*Te quoq; credo fide simili spirabile numen,  
Hælitus, afflatusq; dei sacer, omnia lustrans.*

Sanctam ecclesiam. IX.

*Et te confiteor sanctissima concio, qua gens  
Christigena arcano nexu coit omnis in unum  
Corpus, & unanimis capiti sociatur IESV.*

Hinc

*Hinc proprium nescit, sed habet communia cuncta.*

Remissionem peccatorū. X.

*Hoc equidem in cœtu sancto, peccata remitti*

*Credo, vel ijs sacro fuerint qui fonte renati,*

*Vel qui diluerint ultro sua crimina fletu.*

Carnis resurrectionem. XI.

*Nec dubito quin exanimata cadauera rursum*

*In vitam redeant, animas sortita priores.*

Vitam æternam. XII.

*Vtraq; pars nostri, corpusq; animusq; deinceps*

*Iuncta simul, vitam ducent sine fine perennem.*

SEPTEM SACRAMENTA.

*Hoc quoq; persuasum est, ecclesia mystica septem*

*Munera dispensat, qua sacramenta vocantur.*

*Hinc varia dotes, & gratia plurima menti*

*Cœlitus inseritur, si quis modo sumpserit apte.*

Ordo. I.

*Ordine nanq; sacro, confertur sacra potestas,*

*Vt fungare ministerijs, Christo auspice, sanctis.*

Matrimonium. II.

*Munere coniugij nati hunc prodimus in orbem,*

*Vsq; adeo pulchri pulcherrima portio mundi.*

Baptismus. III.

*Munere baptismi longe felicius ydem.*

*Quàm prius in te Christe renascimur, atq; nouamur.*

Confirmatio. IIII.

*Deinde in amore Dei nos confirmatio sacra,*

## CHRISTIANI HOMINIS

*Constabilis, mentemq; inuicta robore durat.*

Eucharistia. V.

*Mysticus ille cibus (Græci dixerunt Synaxin)  
Qui panis vniq; palam sub imagine Christum  
Ipsum præsentem vere exhibet, intima nostri  
Viscera, cælesti saginat, & educat esca,  
Inq; deo reddit vegetos, & reddit adultos.*

Pœnitentia. VI.

*Si quem forte deo capitalis reddidit hostem  
Noxia, continuo Metanæa medebitur illi.  
Restituet lapsum, rescissaq; fœdera rursum  
Sarciet, offensi placabit numinis iram.  
Commisisti modo pœniteat, pigeatq; nocentem,  
Isq; volens peragat præscripta piamina culpæ.*

Vnctio. VII.

*Vnguinis extremi munus nos munit, & armat,  
Migrantemq; animam per summa piacula, tuto  
Transmittit patria, & superis commendat euntem.*

Amor dei.

*Hæc est indubitata fides, cui pectore certo  
Nixus, amabo patrem super omnia cunctipotentem:  
Qui me condideritq; & in hunc produxerit orbem.  
Rursum amore pari dominum complectar IESVM,  
Qui nos asseruit, pretioq; redemit amico.  
Spiritum item sanctum, qui me sine fine benigno  
Afflatu fouet, atq; animi penetrabilia ditans  
Dotibus arcanis, vitali recreat aura.*



Atq; hic ternio sanctus, & omni laude ferendus,  
 Toto ex corde mihi, tota de mente, supremis  
 Viribus, obsequio, meritoq; coletur honore.  
 Hunc unum reuerebor, & hoc semel omnis in vno  
 Spes mea figetur, hoc omnia metiar vno.  
 Hic propter sese mihi semper amabitur vnus.

Amor sui.

Post hunc haud alia ratione, ac nomine charus  
 Ipse mihi fuero, nisi quatenus omnis in illum  
 Ille mei referatur amor, fontemq; reuscat.

Fuga peccati.

Culpam praeterea fugiam pro viribus omnem.  
 Praecipue capitale tamen vitauero crimen,  
 Quod necat, atq; animam letali vulnerat ictu.

Superbia, Inuidia, Ira.

Ne fastu tumeam, ne vel liuore maligno  
 Torquear, aut bili rapiar feruente, cauebo.

Gula, Luxuria, Pigritia.

Ne vel spurca libido, vel insatiabilis aluus  
 Imperet, enitar, ne turpis inertia vincat.

Auaritia.

Ne nunquam saturanda fames me vexet habendi,  
 Plus satis vt cupiam fallacis munera mundi.

Fuga malorum hominum.

Improba pestiferi fugiam commercia cætus  
 Omnia, summo animi conatu, proq; virili.

CHRISTIANI HOMINIS

Studium pietatis.

Atq; huc incumbam nervis, ac pectore toto,  
Vt magis atq; magis superet mihi gratia, virtus,  
Augeſcatq; pia diuina ſcientia menti.

Deprecatio.

Orabo, ſuperosq; precum libamine puro  
Placare adnitur, cum tempore ſedulus omni,  
Tum vero eximie, quoties lux feſta recurret.

Frugalitas uictus.

Frugales epula ſemper, menſaq; placebit  
Sobria mundities, & auari neſcia luxus

Ieiunium.

Seruabo reuerens, quoties ieiunia nobis  
Indicit certis eccleſia ſancta diebus.

Mentis custodia.

Sancta uti ſint mihi ſecreta penetralia mentis,  
Ne quid eò ſubeat ſædumie, nocensue, ſtudebo.

Linguaæ custodia.

Ne temere iuret, ne vnquam mendacia promat,  
Turpia ne dictu dicat mea lingua, cauebo.

Manus custodia.

A furto cohibebo manus, nec ad vlla minuta  
Viſcatis mittam digitos: & ſi quid ademptum  
Cuiquam erit, id properabo reddere iuſto.

Reſtitutio rei forte repertæ.

Id quoq; reſtituam, ſi quid mihi forte repertum eſt,  
Me penes haud patiar prudens aliena morari.

Amor

## Amor proximi.

Nec secus atq; mihi sum charus, amabitur omnis  
 Proximus: est autem, ni fallor, proximus ille,  
 Quisquis homo est, at sic, ut amor referatur amici  
 In Christum, vitamq; piam, veramq; salutem.  
 Huic igitur fuerit quoties opus, atq; necesse,  
 Sedulus officio corpusq; animumq; iuuabo,  
 Ut mihi succurri cupiam, si forsan egerem.  
 Id tamen in primis prestabo utriq; parenti,  
 Per quos visibili hoc nasci mihi contigit orbe.  
 Tum præceptori qui me erudit, instituitq;  
 Morigerus fuero, ac merito reuerebor honore.  
 At rursus dulcisq; scholæ studiūq; sodales,  
 Semper (uti par est) sincero amplectar amore.

## Confessio.

Si quando crimen fuero prolapsus in vllum,  
 Protinus enitar, pura ut confessio lapsum  
 Erigat, ac iusta tergatur noxia pœna.

## Sumptio corporis Christi in uita.

Ast ubi sacrati me ad corporis atq; cruoris  
 Cælestes epulas, pietasq; diesq; vocabit,  
 Illotis manibus metuens accedere, pectus  
 Ante meum, quanta cura studioq; licebit,  
 Purgabo maculis, virtutum ornabo nitelis.

## Morbus.

Porrò ubi fatalis iam terminus ingruet aui,  
 Extremumq; diem cum morbus adesse monebit,



CHRIST. HOM. INSTIT.

Mature sacramentis me armare studebo,  
Atq; his muneribus quæ ecclesia sancta ministrat  
Christigenis, reteget confessio crimina vitæ  
Sacrificio, sumam Christi venerabile corpus.

Mors.

Quod si vicina propius discrimina mortis  
Urgebunt, supplex accersam qui mihi rite  
Oblinat, ac signet sacro ceromate corpus.  
Atq; his præsidys armatus, sic uti dignum est  
Christicola, forti ac fidenti pectore, vita  
Decedam, bonitate dei super omnia fretus.  
Hoc fac, & viues.

RODOLPHVS AGRICO-

LA IOANNI AGRICO-  
le suo fratri. S. D.



NIHIL habeo mi frater, quod vel ego a-  
ptius tibi pro nostra necessitudine, ut  
qui frater sim tuus, afferre possim, vel  
tu potius pro tua ætate, ut qui prima in-  
uenta spatia ingrederis, ex me expecta-  
re debeas, quàm ut undecunque possim, ea tradam tibi,  
quibus & eruditione ornator, & vita melior euadas.  
Idq; dignum studijs meis, dignum amore nostro arbitror  
munus, ea parare tibi, quorum usus non tempore intercè-  
dat, non casibus obnoxius sit. Sed quemadmodum natu-  
ra perpetuo nos deuinxit pignore, ita illa quoq; quæ à me  
accipis,

accipis, solida perinde sint, perpetuoq; tibi adiumento futura. Quod si pulchre apud poetam ille monuisse filium videtur, qui inquit:

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem:

Fortunam ex alijs.

Et ille quidē, cuius omnis conatus pendebat ex fortuna, omnis ad fortunam labor dirigebatur, non immerito virtutis ego tibi hortamenta colligā, qui vitam hactenus eis impendi studijs, quæ vera, certissimaq; ad virtutem ducunt via, quæq; in rebus humanis quid expetendum sit, quid fugiendum, quid recte secusue fiat, veluti in speculo conspiciendum nobis, considerandumq; proponunt. Cum sint autē permulta, quæ ad vitæ pertineant institutionem, Græcis Latinisq; literis cōscripta, egregia in primis & admirabilis Isocratis ad Demonicum Parænesis mihi videtur. Ea enim suauitas est dicendi, is ornatu, et (ut ita dicam) sculptura orationis, tanta præterea maiestas, utilitas, decor præceptorum, ut si, quemadmodū pugiles meditados quosdā nodos nexusq; habent, quibus incertamine subito, vel nō cogitantes etiā vtantur: ita nos quoq; oporteat, certa quedam, et ad manum deposita vitæ habere præcepta, quæ omnes nostras, velut ad filum, dirigant actiones, quorumq; tenax infixæ mentibus nostris memoria, recti nos limitem egredi ubiq; vetet: hic libellus aptus vel maxime ad hanc rem, atq; accommodatus mihi videtur. Eum itaq; in Latinū sermonem è Græco cōverti, rem scrupulosam conatus, ut numeros quoq; quorū ille fuit obseruantissimus, et schemata, vel (ut nos

ISOCR. AD DEMONICVM

dicimus) exornationes orationis, quoad possem imitarer. Per similiter enim cadentia et desinentia, & æquata, et contrapositiona, et reliquos id genus ornatus, voluitur oratio. Quorum ut studiosus præcipue Gorgias Leontinus præceptor ipsius, alijsq; ætatis illius sophista fuerunt, ita diligentior ipse, ut secuta ipsum, non affectata viderentur. Hunc ego legendum tibi etiam atq; etiam, & ad verbum quoq; ediscendum censeo, semperq; velut ante oculos tanquam regulam quandam, vitæq; præscriptum habendum. Ita fiet, ut non solum instruat os tuum, verum animum quoq; emendet. Quemadmodum enim ad doctrinam præcipuum est intelligere quæ legas, ita ad virtutem maximum facere, quæ intelligas.

ISOCRATIS AD DEMONICVM PARÆNESIS, PER ERV-  
ditissimum virum Rodolphum Agric-  
colam è Græco in Latinum ser-  
monem traducta.



**M**N multis Demonice rebus multum inuenimus distantes bonorum mentes, atq; malorum cogitationes, multo vero maximum acceperere discrimen circa mutuam consuetudinem vitæ. Hi enim præsentibus solum amicos venerantur. Alij eos quoq; qui longe absunt, benevolentia prosequuntur. Ac malorum quidem amicitias, tempus exiguum dissoluit, at bonorum ne omnis quidem curam



dem cui tractus extinguit. Quum putem igitur eos, qui gloriam expetunt, quiq; suos eruditioni conatus destinant, bonos et nequaquam malos decere sectari, hanc orationem dono tibi misi, indicium erga te benevolentiae, signumq; cum Hipponico familiaritatis. Decet enim liberos quemadmodum facultatum, ita amicitiae quoq; paternae hereditatem suscipere. Video autem et occasionem nobis convenientem, & praesentis nos opportunitatem temporis adiuvantem. Tu enim erudiri cupis, ego erudire alios adnitor. Tu sapientiae studio adhuc teneris, ego deditos illi recta via deduco. Quicumq; autem adhortatorias ad amicos suos orationes conscribunt, pulchrum illi quidem opus assumunt, non tamen circa id quod est in philosophia praestantissimum laborant. Qui vero adolescentibus praemonstrant, non ea quibus vehementiam in dicendo consequantur, sed quo pacto vita moribusq; industriam fiant, tanto magis, quam illi audientibus prosunt, quantum interest, quod illi ad sola ipsos verba confirmant, hi vero ipsorum quoq; facta emendant. Quamobrem nos non exhortationem tibi parantes, sed institutionem tibi scribentes, pergemus nostri te consilij participem facere, quas res oporteat adolescentem desiderare, et quae rursus opera vitare, qualibus item hominibus se coniungere, et quomodo sua ipsorum vitam instituire. Quicumq; enim vitae cursum hoc itinere fecerunt, hi soli ad ipsam virtutem ingenue adire poterunt, quae non res honestior, non constantior est ulla. Pulchritudo enim vel valetudine perit, vel tempore flaccescit. Diuitiae vitiorum sunt potius, quam integritatis mi-

ISOCHR. AD DEMONICVM

nistra, facultatem nempe desidia prabentes, & ad volu-  
 ptatem iuuenes excitantes. Robur prudentiæ coniunctis  
 profuit, sine illa vero sapius eum, qui id habet, offendit: et  
 corpora quidem eorum qui se exercent, adornat, indu-  
 striam vero mentis obscurat. Virtutis autem confessio  
 quorum bona fide mentibus ipsa coaluerit, sola consene-  
 scit, diuitys potior, utiliorq; generis splendore, quæq; fieri  
 nequeunt ab alijs, illa suis viribus subdens, & multitu-  
 dini metuenda, constanter expectans, desidiam dedu-  
 cens, laborem laudem arbitratur. Hoc cognitu perfacile  
 est, ex gloria certaminum Herculis, operumq; à Theseo  
 gestorum, quibus morum præstantia tantum laudis in-  
 signe operibus adiecit, ut omnis temporum posteritas, re-  
 bus quas gesserunt, offundere nequirit oblivionem. Sed  
 & tu quoq; memor patris tui viuendi sectæ, nonne ha-  
 bebis pulchrum ac domesticum eorum, quæ à me tibi di-  
 centur, exemplum? Neq; enim parui virtutem faciens,  
 neq; secordiæ deditus egit ætatem, sed corpus laboribus  
 exercebat, animo pericula subibat, neq; extra modum di-  
 uitias expetebat, sed præsentibus quidem fruebatur bo-  
 nis, veluti mortalis, gerebatq; curam futurorum, velut  
 immortalis. Neq; vero contempte vitam instituerat, sed  
 elegans erat & magnificus, simulq; expositus amicis. Im-  
 pensus laudabat officio ipsum prosequentes, quam gene-  
 ris sibi necessitudine deinctos. Persuadebat enim multo  
 ad amicitiam efficaciorẽ esse naturã lege, mores genere,  
 electionem necessitate. Tempus in præsentia nos deficeret,  
 si omnes illius actiones enumerare pergamus, exacte q; de  
 illis

illis nobis alio erit loco differendum. Nunc signum quoddam Hipponici susulimus naturæ, ad quem velut exemplar vitam formes oportet, legemq; tibi mores illius putes, et imitatorē te æmulumq; virtutis paternæ præbeas. Turpe namq; fuerit pictores pulcherrima quæq; exprime re animantium, et liberos nō imitari industriam parentū. Existimes autē nullum ita pugilem contra aduersarios suos decere meditari, sicut te considerare, quo pacto cum patris tui ratione viuendi decertes: fieri autē non potest, ut animum quisquā taliter formet, nisi multis ante honestisq; præceptis fuerit expletus. Corpora namq; moderatis laboribus, animus vero actionibus honestis roboratur. Experiar igitur breuiter ea tibi exhibere, quibus obseruandis in vita plurimum videaris virtutibus additurus, & gloriam cunctos apud homines consequuturus.

**P**rimum quidem pie diuina colas, non solum sacrificans, verum etiam quod iuraris præstans. Illud enim affluentia opum est signum, hoc morum probitatis indicium.

Numen venerare semper quidem, præsertim cum ciuitas: sic enim simul videberis sacra deo facere, legibusq; obtemperare.

Talem te exhibeas erga parentes, quales exhibere se tibi voles ex te progenitos.

Firma exercitationibus te corporis, non ijs quæ roborari, sed quæ sanitati conducunt. Id assequeris si desinens laborare, tolerando adhuc labori sufficies.

Neq; in riuum procliuius esse velis, neq; in verba confident:



ISOCHR. AD DEMONICVM

*fidens: illud enim stulti est, istud furentis.*

*Quæ factu turpia sunt, ne dictu quidē putes honesta. Fac assuescas non tristis esse, sed cogitabundus. Propter illud enim ferox, propter hoc prouidus esse crederis.*

*Putes in primis decere te modestiam, pudorem, iustitiam, temperantiam. Istis enim omnibus contineri probitas adolescentium videtur. Neq; latiturum te, si turpe quippiam feceris, speres: ut enim alios cales, te ipsum tamen consciuum habebis.*

*Deum time, parentes honora, amicos reuerere, legibus obedi, voluptates sectare gloria iunctas, oblectatione enim cum honestate nihil est melius, sine illa vero nihil est peius.*

*Obtrectationes deuites, tametsi fuerint falsæ, vulgus enim veritatem ignorat, opinionemq; potius spectat.*

*Sic facito cuncta, velut neminem calaturus, tametsi enim parumper occultes, postea tamen detegeris.*

*Plurimum tibi opinionis adiunges, si appareat ea te non facere, quæ si fuerint ab alijs facta, reprehendas.*

*Si cupide didiceris, multa quoq; disces. Quorum habes doctrinam, ea meditationum custodias curis: at quæ nescis, ea perceptis adiunge doctrinis. Acque nanq; turpe est eum, qui utilem audit orationem, non addiscere, & cui datur ab amicis munus aliquod, non recipere.*

*Vitæ ocium studio percipiendæ eruditionis impende, sic enim difficulter ab alijs inuenta, facile tibi percipere continget.*

*Putata multitudinem præceptionum multis opibus esse  
potiorem*

potiorem, ista enim celeriter dilabuntur, illa in omne permanent tempus. Sola enim rerum omnium immortalis est sapientia.

Ne pigeat longum facere iter ad eos, qui conducibile se aliquid docere profitentur. Turpe namq; fuerit mercatores tanta transire maria, quo cumulatiores suas opes efficiant: adolescentes vero ne terra quidem sustinere proficisci aliquo, quatenus meliorem suam faciant mentem.

Moribus fac ut sis comis, verbis autem affabilis: est autem comitatis, benigne obuios appellare: affabilitatis, familiariter cum ipsis verba communicare.

Benignum te praebeas cunctis, optimis autem utaris. Sic & illis inimicus non eris, & istis amicus fies.

Neq; crebro conuenias eosdem, neq; diu cum eis agas de eisdem. Satietas enim est omnium.

Exerce spontaneis te ipsum laboribus, ut adactos quoque perferre queas.

A quibus turpe est animum vinci, eorum omnium temperantiam exerce, lucri, irae, voluptatis, doloris. Id autem continget, si lucrum putaueris id, quo gloriam augeas, non quo diuitijs addas.

In ira, si talis sis aduersus peccantes, quales delinquenti tibi esse alios velles: in iucundis, si turpe putaueris, seruis te tuis imperare, voluptatibus vero seruire: in aduersis, si alienas respicias calamitates, tibiq; quod hominis, in memoriam subinde deducas.

Verborum magis, quam pecuniarum deposita tuere: decet namq; viros iureiurando se fideiorem praestare.

Consert-

ISOCR. AD DEMONICVM

Consentaneum puta perinde malis non credere, quē-  
admodum fidem bonis habere.

Quæ nolis efferrī, nemini dixeris, nisi tantundem ex-  
pediat ea taceri, & tibi dicenti, & illis qui audierunt.

Iusiurandum adauctum, propter duas accipito causas,  
vel ut te ipsum turpi crimine exoluas, vel ut amicos tuos  
in magnis periculis serues. Pecuniarum autē gratia nul-  
lum numē iuraueris. Videberis enim alijs peierare, alijs  
pecuniarum cupidus esse.

Nullum fac amicum, nisi exploraueris ante, quo pa-  
cto prioribus sit usus amicis. Spera nanq; ipsum erga te  
futurum talem, qualis & erga illos fuit.

Tarde fias amicus, factus autem, da operā ut perma-  
neas. Tantundem enim dedecoris est, & nullum amicū  
habere, & crebros subinde amicos mutare.

Neq; cum damno amicos probes, nec inexpertus ipso-  
rum esse velis. Hoc autem facies, si & cum nullius indi-  
geas, te similes indigere, & illa qua vulgari nihil refe-  
rat, velut occultāda concredas: deceptus enim opinione,  
nihil offendes, non deceptus, mores illorum rebus fictis  
nosces. Amicos proba, & ex vita aduersitate, & ex pe-  
riculorum societate. Aurum enim igne perspicimus, a-  
micos vero inter aduersa cognoscimus.

Amicis hoc pacto uteris commodissime, si non, ut ab  
eis rogeris, expectes, sed pollicens ultro ipsis in tempore  
succurras.

Neque putes turpe, & ab inimicis superari iniurijs,  
& ab amicis superari beneficijs.

In fami-



In familiaritate proba nō solū malis tuis indolentes, verumetiam bonis nō inuidentes: multos enim qui cum infelicibus mœrent, prosperitatis illorū inuidia torquet.

Absentium amicorū fac memineris apud præsentes, ut rationē etiā istorum quoq; absentū habere videaris.

Circa vestitum elegans, non splendidus esse velis. Est autem elegantis quidem magnificum, splendidi vero esse profusum. Ama rerum non immensam possessionem, sed moderatam perfruitionem.

Contemne diuitiarum studio occupatos, atq; ijs, quæ habent uti nescientes. Simile nanq; contingit illis, quod e quum possidenti bonum, & equitare nescienti.

Admittere diuitias tibi, pecunias scilicet, atq; possessiones apparare. Sunt autē pecuniæ illorum, qui recte ipsis frui sciunt: possessiones, qui ipsis uti queunt.

Dilige quas habes facultates duas ob causas, ut et magnum aliquod damnum resarcire, & amicis probis laborantibus possis opem ferre, ad reliquum vitæ usum nō plus æquo, sed moderate, ista concupisce.

Amplectere quidem præsentia, quærasq; meliora.

Nulli calamitatem exprobraris: communis enim est fortuna, futurum incertum.

Bonus benefac: honestus enim thesaurus est gratia, quæ à bono viro debetur.

Si malis benefacias, simile tibi continget, quod qui alienos canes pascant. Illi enim danti, sicut temere accurren-  
ti, allatrant: mali quoq; eos qui prosunt, sicut qui nocent, similiter offendunt.

Adulātes auersare perinde atq; fallētes: vtriq; enim,

cum eis fides habetur, iniuria afficiunt eos qui sibi crediderunt.

Si amplexus fueris amicos, qui ad pessima gratificantur, non habebis unquam, qui tibi ad ea, quae sunt optima, sequendum assistant.

Comē te praebeas eis, quibus cum conuersaris, & non insolentē. Superborum enim fastum vix serui quoque perferent, at morum comitatē cuncti benigniter acceptant.

Eris autē comis, si neque iurgator sis, neque implacidus, neque cum omnibus contendas, neque irae eorum, cum quibus agis celeriter occurras, neque si iniuste quidem fuerint irati, sed efferuescentibus concedas, deinde ipsos ubi relanguerit ira, reprehendas. Neque inter ridicula serijs, neque inter seria ridiculis gaudeas. Intempestiuum enim ubique est molestum. Neque ingratis gratiā in eis, quod multis euenit, qui faciunt quidem, sed egre tamē amicis inseruiunt. Neque cupidus fueris, vel culpandi, quia graue est, vel castigandi, quia est acerbum.

In primis caue tibi à potandi consuetudine, quod si quando tulerit tempus, ante ebrietatem surge: cum fuerit mens vino corrupta, patitur idem quod currus solēt, qui suos effuderunt aurigas. Illi namque nullo ordine, suis destituti rectoribus, feruntur, animus quoque plurima peccat ratione subuersa.

Immortalia sentias, magnitudinē animi prae te ferendo: mortalia vero, moderate praesentibus perfruendo.

Tanto modestiam meliorem immodestia putes, quantum est, quod alia quidē omnia peruersa facta lucro sunt  
eis, quae

*eis, qui illa admittunt: sola autem immodestia damno afficit eam habentes: plerumq; enim quos verbis offenderunt, illis rebus poenas luunt.*

*Quorum conciliare tibi amicitia velis, boni quippiam de eis praedices apud illos, qui sunt renunciaturi. Principium enim amicitiae laus est. Inimicitiae vituperium.*

*Quum consulis, praeterita sumas in exemplum futurorum: latens enim ex eo quod apertum est, expeditissime poteris cognoscere.*

*Delibera diu, celeriter vero confice quod decreuisti.*

*Optimum puta contingere nobis à deo prosperitate, à nobis ipsis prudentiam.*

*Quibus de rebus libere proloqui te pudet, visq; cum amicis aliquibus de eis communicare, verbis velut de alieno negotio utere. Sic enim illorum sententiam nosces, teq; ipsum haudquaquam manifestum reddes.*

*Quum super tuis rebus aliquem in consilium tibi assumes, considera primum quo pacto suas ipse res gessit. Qui enim male administravit suas, nunquam bene consulat in alienis.*

*Ita poteris maxime ad consulendum excitari, si calamitates quas affert temeritas, spectes: sanitatis namq; tunc praecipue curam habemus, cum valetudinis aduersa dolorum recordamur.*

*Regum imitare mores, illorumq; vita rationem sectare, videberis enim amplecti illos, vel emulari. Itaq; apud multitudinem tibi maiorem continget laudem assequi, & constantiore regum benevolentia perfrui.*



ISOCR. AD DEMONICVM

Obsequere legibus quas reges statuunt, firmissimam tamen legem mores illorum putes. Sicut enim qui rempublicam gubernat, opus habet populum obseruare, ita sub principatu viuente, maxime regem decet honorare.

Magistratu praeditus, nemine ad obeunda ministeria malo utere. Quae enim ille deliquerit, eorum in te culpa referetur.

Ex publicis administrationibus abeas, non opibus cumulator, sed gloria honestior. Multis enim opibus, praestantior est multitudinis laus.

Nullam rem inhonestam neque dicto neque facto inueris. Videberis enim ipse talia facere, qualia facientes alios tueris.

Sic te compara, ut alijs superior esse possis: sis tamen aequo contentus, ut iustitiam videaris expetere, non propter imbecillitatem, sed propter aequitatem.

Elige iustam potius paupertatem, quam diuitias iniustas. Tanto enim praestantior est opibus iniustitia, ut ille solis diuitibus profint, haec vero defunctis etiam gloriam praestet: et illa passim improbis contingant, haec malis prorsus sit inaccessa.

Neminem tibi iunxeris eorum, quibus iniustitia lucro est, sed potius eos, qui propter iustitiam ferunt iacturas. Iusti enim, etsi nulla alia re superent iniustos, honesta tamen spe ipsos antecellunt.

Omnium curam gere, quae ad vitam pertinent, maximamque omnium providentiam tu ipsius exerce: maximum enim in minimo est mens bona in humano corpore.

Operam da, ut sis corpore laborum patiens, animo sapientiae

pietia appetens, ut illo perficere possis decreta, hoc decernere facienda.

Quicquid dicturus es, prius apud animū tuum expende. Multorum enim cogitationem lingua præcurrit.

Putare rerum humanarū nihil esse firmum, ita nec in prosperis letitia gesties, nec in aduersis dolore concides.

Duo tibi tempora ad dicendum deputa, vel cum sint aliqua, de quibus exploratum habeas, vel de quibus dicere est necesse. In solis enim istis potior est silentio sermo, in reliquis melius fuerit tacere, quā loqui.

Gaude cum tibi contigerint bona, moderateq; dole ubi inciderint mala, neutrius tamen animi in alijs esse velis manifestus, absurdum enim est reconditas in domibus opes asseruare, & cogitationem in propatulo positam circumferre.

Magis dedecus vites, quā periculum. Oportet enim malis formidabilem esse finem vitæ, probis vero vitam cum turpitudine coniunctam.

Conare in primis vitā in tuto collocare. Quod si tamē contigerit in periculū te deuocari, quare in bello salutem cum honesta opinione, & non cum pudenda fama: mori nanq; cunctis prouidentia decreuit, sed honeste vitæ decedere, id bonis tantum viris proprium natura concessit.

**N**ec mirum tibi videatur, si multa quæ diximus, haudquaquam presenti tuæ conueniunt ætati.

Non enim id me latebat, sed statui eadem opera & presentis vitæ consilium tibi proferre, & futuri temporis monita relinquere: quæ quāto tibi sint vsui futura,

ISOCR. AD DEMONICVM

facile cognoscas: qui vero tibi cum beneuolentia consulat, difficulter consequeris. Vt ergo reliqua non ex alio requiras, sed hinc velut ex arario proferas, decreui nihil eorum prætermittere, quæcunque tibi possem in consiliū afferre. Gratiam autem habeo deo ingentem, si quam de te concepī, non me fallat opinio. Plerosq̄ enim videmus, ut tibi incundissimis potius, quàm saluberrimis delectari, ita seducentibus à vero amicis potius accedere, quàm illis, qui ad meliora hortentur. Te vero puto contra instituisse pergere iudicio, mihi tuam circa reliquum vitæ cultum industriam sumens. Qui enim rectissima sibi ipse agere indicit, consentaneum est eum aliorum ad virtutem exhortantium monita non segruter amplecti. Præcipue excitabit, ut rerum honestarum amore tenearis, si perspexeris, quod ex his voluptates perquam legitime habemus. In secordia namq̄, satiandarumq̄ libidinum studio, continuo sunt labores voluptatibus adiuncti: enixus vero ad virtutem conatus, modestaq̄ vitæ institutio sinceræ semper, certioresq̄ referunt oblectationes. Et illic quidem gauisi primum, postea dolemus, hic post laborem voluptates capimus. In cunctis autem rebus non ita principij meminimus, quemadmodum exitus sensu mouemur. Plurima enim in vita non propter res ipsas agimus, sed consequentium gratia elaboramus. Cogita autem quod malis conuenit, passim quicquid obuium est agere. Hanc enim protinus vitæ sibi regulam præscripserunt. Bonos vero oportet nequaquam virtutem negligere, vel in multorum incurrere reprehensiones.



nes. Cuncti enim non perinde oderunt eos, qui se fallunt, sicut qui probos esse se iactant, nulla<sup>q</sup> in re vulgo sunt præferendi. Recte quidem. Nam si eos, qui solis verbis fraudem struunt improbamus, quomodo eos qui tota aberrant vita, non aspernandos putabimus? merito<sup>q</sup> credimus istos non solum in seipsos delinquere, sed & animi sui esse proditores: ipse enim opes illis gloriam<sup>q</sup> & amicos peperit, illi vero seipsos indignos hac sua felicitate fecerunt. Quod si oportet eum, qui mortalis sit, scrutari coniectura cœlestium mentem, arbitror in familiarissimis suis maxime ostendisse, quo modo bonis sint malis<sup>q</sup> affecti hominibus. Iupiter enim Herculem & Tantulum genuit, quemadmodum fabula tradunt, cuncti<sup>q</sup> credunt: & illum quidem propter virtutem immortalitate donavit, hunc propter improbitatem gravissimis calamitatibus oppressit. Quibus utentem exemplis expetere decet honestatem, & non modo his, quæ nos diximus, sed ex poetis pulcherrimum quod<sup>q</sup> ediscere, & reliquos eruditos, si quid dixerunt utile, scrutari. Quemadmodum enim videmus apem omnibus flosculis insidentem, & de vno quo<sup>q</sup> optima carpentem: ita oportet, qui vitæ disciplinam expetunt, nullus rei rudes esse, & undiq<sup>q</sup> quæ sunt vitilia, colligere. Vix enim quis hac diligentia natura poterit errata superare.

FINIS.

I 3

IANI ANYSII SENTENTIAE, AD  
Inachum Mendosam Cardinalem.

**V**T præclara mihi incidere verba,  
Subscripsi negligentius libello,  
Nam duxi nihil ordine indigere.  
Tu lege Inache candidè, atque cunctis  
Da sedem propriam, suumq; honorem.

Adlectores.

Si qua est iam his licentia in nostris,  
Matrona fucis est carere quia debet.

Adlectores.

Quæ facere meliora nequij, vtor pro meis:  
Nam dicta vetera inuertere, impietas mera est.

Mens pura centum gratior tauris deo.  
Virtute nihil propius deo, hac cælo est iter.  
Præstat mori, quam viuere diu turpiter.  
Sit lingua nata gratiæ, & dictis bonis.  
Mendacium quum dicis, es mendax memor.  
Cote aurum, & auro homo probatur optime.  
Est pœnitudo sponsionis filia.  
Principem adeas rarissimè, & suauissimè.  
Primas caue Cupidinis foueas faces.  
Inuenta bene instituta, tibicen senj est.  
Necessitas rerum omnium potentissima.  
Quo iniquior, eo infelicior potentia est.  
Et iustus, & sapiens vir est similis Deo.

Honestà

Honesta dare, petereq; amici est optimi.  
 Qui possidet se, non qui opes, is diues est.  
 Mortalis homo mortalibus ne fidito.  
 Se vincere, optima omnium victoria est.  
 Agenda meditare, acta mox examina.  
 Diuersa studia odere cuncti, amant sua.  
 Audere plus, loqui minus, fortis viri est.  
 Ducenda si uxor est, parem exopta tibi.  
 Non diuitia ea sunt, quibus semper deest.  
 Linguamq;, ventremq;, veneremq;, comprime.  
 Quisnam tam amicus dijs sponondit, cras sibi?  
 Præproperè in omni tempore uxor ducitur.  
 Prædulce amore mutuo connubium.  
 Ut umbra, sic oratio est mutabilis.  
 Ille est deo carissimus, qui eget minus.  
 Habeto opes, haberi ab illis præcaue.  
 Quid interest, ditem, an inopem hominem mori?  
 Sapientia animo splendet, ut oculis dies.  
 Ad gratiam oratio, laqueus est melleus.  
 Ut est grauis uirtus, ita fors leuissima.  
 Fiducia & spes præsidia firmissima.  
 Opem petenti aut da cito, aut cito nega.  
 Vis, mole præcepta sua, expers consilij.  
 Iactura per socordiam grauissima est.  
 In animo egestas atq; opes hominum sedent.  
 Rarissimum inuentu est amicus optimus.  
 Plenum theatrum est uir bonus viro bono.  
 Cum naufrago fac conuolat uaticum.



Tam morte certa, quis tantus timor mori?  
 Opinio animum sepius, quàm res premit.  
 Id optimum est, quod fit vetustate melius.  
 Ira impotens furor est, suiq; pœna atrox.  
 Ita age, ut deis & hominibus spectantibus.  
 Quid tam dolendum, si datur finis malo?  
 Rarò tyrannum vidit vsquam sol senem.  
 Acrugo ut as, ita inuidia est præcordia.  
 Scire, & sapere, viaticum in vita optimum.  
 Inscitia est mortalibus summum malum.  
 Ne crastino sperans, quid omiseris hodie.  
 Nil optimum pulchrumq;, sero discitur.  
 Aduersa profunt sæpe, nam recti admonent.  
 Latère conscientiam nequit scelus.  
 Qui aduersa nescit, pror sus homo est miserrimus.  
 Non vis tua edi consilia, ne proferas.  
 Conuicia hominum turpium, laudes puta.  
 Quid homo paras? necesse tandem si est mori.  
 Cani latranti præda facile elabitur.  
 Superare fortunam potest, potens pati.  
 Metiri iniquum est commodo suo omnia.  
 Haustus facile amor, cum labore educitur.  
 Nil tam celere, quod non amanti sit moræ.  
 Fortuna quo arridet magis, magis time.  
 Qui parcat improbo, officit multis bonis.  
 Ipsi neq; hostibus feceris iniuriam.  
 Quod non potes vitare fortiter feras.  
 Fortuna vitri more intet, ac frangitur.

Sequa-

Aequanimitas medicina erumnae maxima est.  
 A morte vir virtute vindicabitur.  
 Nulli est auarus quàm sibi infestus magis.  
 Minæ & metus nihil integrum vitæ mouent.  
 Lupum auribus tenet, tyrannus vi imperans.  
 Beneficia senescunt, virent iniuria.  
 Conuiuia rara loquitor, & gratissima.  
 Desunt egeno multa, auaro omnia.  
 Nos sæpe fallunt nostra, recti imagine.  
 Sic viue, tanquam omnis supremus sit dies.  
 Oratio index est animi certissimus.  
 Diras auaro si imprecer, vitam precer.  
 Hostis timendus, quamlibet pusillus, est.  
 Infestius nil alteri est, quàm homini homo.  
 Qui mortuo dat, ludit operam illi, ac sibi.  
 Per sæpe quæ ferunt alij, alij metunt.  
 Si vrget necessitas, pericla periculo adi.  
 Nihil homini certum est cauere, latent mala.  
 Pœna graui ipsum vlci scitur sese scelus.  
 Multa accidunt, quæ consecres silentio.  
 Beneficij cito senescunt gratia.  
 Tanti aestima te, quantus es, nisi desipis.  
 Nil pœnitendum feceris consultò agens.  
 Letalius multo est malum, quod delitet.  
 Mœror voluptatem vsq; sectatur comes.  
 Quid stultius, quàm verti in hora sæpius?  
 Iactura nulla grauior est, quàm temporis.  
 Nihil supra vires statuit homini deus.

Plures timebit, qui est timori pluribus.  
 Dulcis labor fit, præmij certus sui.  
 Quod uiuitur uita est, probe si uiuitur.  
 Consulto amicum aut querito, aut relinquit.  
 Fœlix, alieno periculo quisquis sapit.  
 Leue est dare consilium, arduum se noscere.  
 Exigua res fit maxima, data tempore.  
 Monet sequentem: qui antecesserit dies.  
 Frustra expetuntur, quæ impetrari non queunt.  
 Delibera tarde, perage quàm ocysime.  
 Enitere esse opinione probatior.  
 Animi bona in numero habere, magis quàm opes.  
 Nil abditum diu est, malefacere abstine.  
 Dies diei index, supremus omnium.  
 Opinio imperat homini imperio graui.  
 Cupis beatus esse? sustine, abstine.  
 Aurum ignis examinat, amicum tempora.  
 Nunquam dati memineras, accepti es memor.  
 Omni aspide improba mulier letalior.  
 Par est lucrum damno improbis partum modis.  
 Senex inops spectaculum est tristissimum.  
 Amico amicus in omnibus bona cogitat.  
 Secreta amici conde thesauri loco.  
 Audire, dicerèue male in quenquam abstine.  
 Rebus modus contentus est suauissimus.  
 Ingenui animi & celsi est, fouere miserrimos.  
 Et uerba, & opera, fœda sunt, uenalia.  
 Molestia est uigis, domi uxor improba.



Felicitas summa, uxor est frugi, viro.  
 Iniuria animum exest, beneficium hilarat.  
 Sape est egestas dulcior quam copia.  
 Mendacem ita audi, ut sit ioco ac derisui.  
 Ingens labor mendacis, omnia fingere.  
 Mendacem ego nequam execror, vanum fero.  
 Luxus corpus conficit, animum multo magis.  
 Cui credere debeas quid, & quantum, uide.  
 In supplicem qui scuit, sauior fera est.  
 Facundus est comes viae compendium.  
 Virtus relicta tristitiam animo parit.  
 Praesens & absens est bonus, amicus bonus.  
 Latens adulator malum, ac letale mel.  
 Si est turpe superari, dolorem vincito.  
 Vitato ut hostem, temetipsum, si es malus.  
 Nil suauius, quam audire vera, ac dicere.  
 Miseriae, ope sua aequae excruciant, ni mens sapit.  
 Ita amicum ama, ut ratio locum seruet suum.  
 Amentia est teterrima, inuidia.  
 Dictum impie in deos, malum est vanum atq; atroce.  
 Nihil videt mens veritate pulchrius.  
 Sapientia est medicina languorum omnium.  
 Sera ultio grauissima venit impio.  
 Alias mora molesta, est fallens molestior.  
 Metire censu impensam, & arca, si sapis.  
 Non cuias, sed quis es, expedit te ostendere.  
 Infestior ipsi iniurio est iniuria.  
 Ineptius nil est, quam inepta effundere.

IANI ANYSII

*Simplex amico amicus esto, & integer.*  
*Bona est voluptas, si rationi pareat.*  
*Condimentum cibi est, fames: potus, sitis.*  
*Præsto esse miseris principem virum decet.*  
*Modestus est æque in iocis ac serijs.*  
*Venale quicquam in rege pro piaculo est.*  
*Sapientiam nil propius est, quam veritas.*  
*Largissimis affluit opibus nitida fides.*  
*Mendax miser palam, clam auarus esurit.*  
*Vt Sol modesta liberalitas nitet.*  
*De se exigit, quod in alyis ira expetit.*  
*Mulcet superba lene verbum pectora.*  
*Maledicta dissimula, atq; viues hilarius.*  
*Meminisse semper tristia, muliebris animi est.*  
*Sunt mane amici, vesperi auersi, mali.*  
*Honestus amicus impetret, turpe haud petat.*  
*Si fors te euehit, prioris es vitæ memor.*  
*Nullus grauior hostis, quam amicus subdolanus.*  
*Diuturna non est improborum amicitia.*  
*Ingratus, æque est omnibus odio, ac sibi.*  
*Communitati hominum debemus plurimum.*  
*Bona vt à bonis oriuntur, ita mala à malis.*  
*Prudens si aberras rectâ, hominum es miserrimus.*  
*Nulla inuidiam & auaritiam requies fouet.*  
*Nil rege iusto pulchrius Sol aspicit.*  
*Est seruitus Cupidinis durissima.*  
*Virus dilutum nectare assentatio est.*  
*Pone in bonis, quæ iuste opes accesserint.*

Qui affert necessitatem, aufert arbitrium.  
 Cum dijs age precibus, dent id, quod est bonum.  
 Quid querimus stulti? ad manum si est, quod sat est.  
 Occidi vir bonus, lædi haudquaquam potest.  
 Honestæ egestas pompa inani pulchrior.  
 Prudenter agito, viderint dy postea.  
 Natura quos ludos docet, honeste utere.  
 Dolere nil, rigidi animi est, mollis nimis.  
 Gratus laborem minuit, & animum incitat.  
 Curat prius se, deinde rem, quisquis sapit.  
 Trudunt malo mali malum, boni bono.  
 Nil morte certius, nil hora incertius.  
 Sit gaudio, dolori, iræ suus modus.  
 Vicissitudo tandem rerum est omnium.  
 Difficilius desuescere est, quàm assuescere.  
 Mens dubia animi, facile gradu depellitur.  
 Subito in periculo consilium rapidum valet.  
 Fallit temeritas saepe, cogita antea.  
 Ne admiseris quod obeat, potes si omittere.  
 Si corpori anima præest, animam cura prius.  
 Mors aspera malis, longe alia venit bonis.  
 Si non parentem fers homo, quem alium feres?  
 Clementiæ expers imperium tyrannis est.  
 Pulchra ac pudica pulchrior duplo ac triplo est.  
 Quamuis scelestum, pœnitet sceleris tamen.  
 Opes parentur ut virtuti pareant.  
 Quod tute tibi parasti, id est dulcissimum.  
 Obscurius quidq; inquirendo discitur.

Mendacium



LANI ANYSII

*Mendacium est dijs maxime & hominibus odio.*  
*Inuito, & id quod est facile, difficile fit.*  
*Iustæ refulgent leges post iniuriam.*  
*Ere sapientis est, negligere rem in loco.*  
*Præsentis absentisq; amici sis memor.*  
*Plus quàm labor, desidia corpus conficit.*  
*Curiosius aliena scrutari abstine.*  
*Tempus noui aliquid semper in nobis parit.*  
*Sine mente diues, aureo aries vellere est.*  
*Placato officijs, quos læseris iniuria.*  
*Æquo ferendum animo, feret quodcumq; fors.*  
*Infirmo eunt pede consilia hominis inopis.*  
*Quam quisq; norit artem, in ea se exerceat.*  
*Lenire nitere, quod nequis dissoluere.*  
*Quum non datur quod vis, velis quod fors tulit.*  
*Diffunde tua potius, aliena quàm appetas.*  
*Amor sine modo, abest parum admodum ab odio.*  
*Cum liberis hominibus abstine à minis.*  
*Sit conscientia instar mille testium.*  
*Audire vis bene, abstine male dicere.*  
*Mortalis heu nescis quæ ad orcum est ultio.*  
*Petito à Deo fortunam, à teipso sumito.*  
*Cauda & capite mendacium grauius ferit.*  
*Dictum bonum aut factum redit cum scœnore.*  
*Amore crescunt imperia, ruunt metu.*  
*Tam est in vitio qui omnia timet, quàm qui nihil.*  
*Male imperat, qui sub imperio nunquam fuit.*  
*Aduersus iram pugna vita emi solet.*

Errata minima abeunt, at haerent grandia.  
 Nil rege pulchrius, nil tyranno tetrius.  
 Non laudo amorem, à quo ingenuus abest pudor.  
 Iniuriam inferre est fera, ferre est viri.  
 Intemperantia est malorum pessima.  
 Graue decipi ab alio est, à se grauissimum.  
 Magnum est quidē, hostē vincere: se autē, maximum.  
 Heu cur potentes pleriq; omnes sunt mali?  
 Pulcherrima est res veritas, orta à Deo.  
 Eam elige artem, quam senex exerceas.  
 Ut principum, sic fiunt mores ciuium.  
 Sapienti honestas lex, libido est lex malis.  
 Grauior egestas est amicorum quàm opum.  
 Te scire quod nescis, ne vnquam dixeris.  
 Quod viuus, haud vita est, nisi bene vixeris.  
 Nimus sui amor radix malorum est omnium.  
 Pectora virorum sunt muri urbis aenei.  
 Præ seipso amabit veritatem, vir bonus.  
 Obest nihil bis dici, quod bene dicitur.  
 Dos magna mulierum est, & decus, pudicitia.  
 Animi pusilli est, facere seruo iniuriam.  
 Ni seruum ineptum vis, cum eo abstine à iocis.  
 Id discce, quod te faciat meliorem indies.  
 Bonus videri, at esse nititor magis.  
 Sine contumelia plectito quibus praees.  
 Corpus animumq; incontinentia conficit.  
 Repetere beneficium, impudentis hominis est.  
 Regni haud dubia sunt praesidia amor ciuium.

Landato

IANI ANYSII

Laudato parcè, vituperato parcius.  
 Vindicta fœlix est, potuisse ignoscere.  
 Grauiſſimum ſupplicium eſt, odium publicum.  
 A temetiſo exigito, ſi tibi quid deeſt.  
 Exculti opes ampliſſimæ ſunt pectoris.  
 Quum uxor magis parei, magis imperat viro.  
 Neq; temere, neq; timidè periculum adi.  
 Quod partum eſt precibus, beneficij amittit locum.  
 Non tam rei, quàm animo debetur gratia.  
 Amare cogi quem oderis, miſerrimum eſt.  
 Nulla improborum ſtat diu fœlicitas.  
 Vt nare piſcium eſt, ita flere mulierum.  
 Munus loco iactura erit, ſi erit malum.  
 Iniuria vel iſſis odio eſt autoribus.  
 Lite abſtine, nam vincens multum amiſeris.  
 Vt quiſq; eſt intus, talis eſt oratio.  
 Spes præmiij leuat laborum ſarcinam.  
 Vicem gerit ærumnæ nimia fœlicitas. ¶  
 Iactura maxime eſt, carere ea re, quam habes.  
 Regi certa eſt ſecuritas clementia.  
 Fœlix is eſt, peccare qui minimum poteſt.  
 Senex amator vltima ærumna eſt ſibi.  
 Fortuna fortis ſuperat conſilia hominum.  
 Conſerre beneficium, quàm accipere, eſt pulchrius.  
 Periculum idem, parcere malo, & ledere bonum.  
 Quodcunq; fit bonis bene, id nunquam perit.  
 Ars alia priuatum, alia principem decet.  
 Perſape plus qui amplectitur, retinet minus.

Si audi-



Si audire male non vis, ne dixeris male.  
 In cor malum sapientiae haud aditus patet.  
 Auro loquente conticescunt omnia.  
 Si rem efficere cupis, minimum oportet loqui.  
 Ut corpus umbra, ita gloriam inuidia sequitur.  
 Si qua dat e genus, redde mox cum fœnore.  
 Scintilla parua alta incendia saepe excitat.  
 Turpi abstine à questu, neq; esto particeps.  
 Audire male, minus graue est quàm dicere.  
 Ex consilio bono, bonum nascitur opus.  
 Viuis bene sperandum ad horam vsq; ultimam.  
 Bene institutum animum parum afficiunt mala.  
 Amicitiae longissimi sunt termini.  
 Monstrum est iuuenis infirmus, & demens senex.  
 Est liberi hominis vera semper dicere.  
 In laude ne exulta, at prius te examina.  
 Dulcissimum fructum ferunt mores boni.  
 Sine consilio agens facile fit præda hostibus.  
 Nox consilium gignit, dies operam exigit.  
 Quisquis senescis, præpara viaticum.  
 Quod nam lucrum sperare ab hoste possumus?  
 In filium iram non bonus nutrit pater.  
 Mulier nihil scit, præter illud quod cupit.  
 Stude ex teipso parere nomen & decus.  
 Fortuna tunc fluit, manere quum putas.  
 Virtutis est possessio firmissima.  
 Tutissimum est vallum nitida virtus viris.  
 Da munus, & libenter accipe à bonis.

Ne turpe fac, nec comminiscitor quidem.  
 Senecta male instituto onus grauissimum.  
 Frugi mulier firmum gubernaculum est domus.  
 Non verba mulcent dulcia, quem torquet fames.  
 Peccare bis idipsum haud sapientis est viri.  
 Virtutibus sacrarium est modestia.  
 Terra omnia aufert, rursus & refert parens.  
 Quam tantum amamus, vita, ad mortem cursus est.  
 Mulier domus aut calamitas est, aut salus.  
 Seruat virum vir, & manum maris lauat.  
 Satis senex est iuuenis, si sapit satis.  
 Dominus est assiduus seruus sua domus.  
 Et cogita, & loquere libenter de Deo.  
 Fert damna saepe turpe lucrum maxima.  
 Vita indigna semper, vita non dici potest.  
 Mori haud graue est malum, sed turpiter mori.  
 Robur iuuentutis senum est prudentia.  
 Rarum decus mulieribus taciturnitas.  
 Sapientem facit insipientem temulentia.  
 Audire praestat quam loqui adolescentulum.  
 Praesente vi, lex robur amittit suum.  
 Sine arte diligentia est labor irritus.  
 Doctrina sordet in ingenio & animo malo.  
 Diues malus medijs in opibus est miser.  
 Viuusq; mortuusq; plectitur malus.  
 Praecox sapientia in puero monstrum est minax.  
 Bonum est senescere, itemq; non senescere.  
 Mulierum opes ac magna dos, pudicitia.

Dementiam simulare, saepe sapientis est.  
 Efferre mulierem, est melius quam ducere.  
 Quod est satis, prodest: quod est super, officit.  
 Homo non ferres, quod in hominem cadere potest?  
 Nocere quod potest, licet carum, abijce.  
 Non ferre mortem, mutuuum est non reddere.  
 Quamcunq; vixeris lucro apponito diem.  
 Oratio index animi cogitantis est.  
 Fidis amicis mentis arcana explica.  
 Medico fideli trade curam corporis.  
 Ouum simile ut ovo est, mulieri ita mulier.  
 Odiosus est seruus, qui herum anteit sapientia.  
 Praecox voluptas multa parturit mala.  
 Virtus adaequat clara summis infimos.  
 Virtus refulget corpore in pulcherrimo.  
 Nunquam scelesti molliuntur pectora.  
 Minus sapit, quisquis sibi placet nimis.  
 In femina inuenire difficile est fidem.  
 Immane corpus est, sed absq; corde plebs.  
 Affecti animi medicina grauis oratio.  
 Vis magna legis, iudicem si habet bonum.  
 Neglexeris si parua, perdes maxima.  
 Fortuna adest, sterte, ac reformida nihil.  
 Praesente fortuna vel obrue me mari.  
 Vitam regit fortuna, non sapientia.  
 Sequitur voluptatem facile infortunium.  
 Negocium ne exhibe amico, quantum potes.  
 Quamuis pusillum hostem aut reconcilia, aut doma.



IANI ANYSII

Nequam muliere nulla sauior sera.  
 Si recta feceris, comitem habebis Deum.  
 Grauis ægritudo suspicio est mortalibus.  
 Ignobiles inopia plurimos facit.  
 Ut comparantur opes, ita expendi solent.  
 Dos insolentiam parit mulieribus.  
 Commmercium hospitalitas pulcherrimum.  
 Quod cogitas, nemo: quod facis, omnes vident.  
 Calumnia & mendacium vitam necant.  
 Quemq; impium ac trucem ultio manet sua.  
 Iniuria animum, corpus ensis sauciat.  
 De te cuiquam ne credideris plus quam tibi.  
 Ad omnibus si discrepas, nulli places.  
 Medicus loquax ægro ægritudo tristior.  
 Fit arte mite, quicquid est ortum rude  
 Quod musæ dant viaticum, auferri nequit.  
 Quum dona inops dat diuiti, dignus odio est.  
 Longe antè meditatatum malum leuius venit.  
 Fit sponte similis somnolentus mortuo.  
 Cura voluptas temperet honesta graues.  
 Iners inopia inopem facit miserimum.  
 Quis prorsus arrogantum cauit crimina?  
 Pati tyranni assuescito licentiam.  
 Fleuntur auro vel Plutonis pectora.  
 Si cum improbis versabere, quid ni es improbus?  
 Ars portus infortunij est mortalibus.  
 Easdem puta ærumnas amicorum ac tuas.  
 Possessio nulla est quam amici firmior.

Sæpe

Sæpe uxor odit, maxime quæ uir cupit.  
 Nihil ab irato fortiter fieri potest.  
 Homo imperitus nil prorsus uidet videns.  
 Nil sanctius quam inter malos bene viuere.  
 Tegit omnia tempus, omnia itemq; detegit.  
 Sermo omnibus, sapientia at paucis datur.  
 Benefacere bono, semper est bono lucrum.  
 Firmum nihil mortalibus statuit Deus.  
 Iucundum amico amicus est spectaculum.  
 Homo imperitus non homo est, sed imago hominis.  
 Peccare pergis auare, dum deos uocas.  
 Vel dic silentio meliora, vel tace.  
 Qui mutuum reddit cito, facile inuenit.  
 Ea stude facere iuuenis, quæ probes senex.  
 Non instruere rudem, inuidia aut inscitia est.  
 Desis ne amicis, item & amicis utere.  
 Deuincit animos munus, & molles facit.  
 Cum nullo conuenit, qui à sese disidet.  
 In corpore infirmo vigere mens solet.  
 Sint acta transacta, & futuris consule.  
 Quod suspicari malum, ilico à te pellito.  
 Omni vacet culpa, quod effers laudibus.  
 Monere amicum perge, quamuis abnuat.  
 Virtute quære laudem, non uersutia.  
 Ne tu ea facito, quæ in alijs minus probaueris.  
 Inopi ac probo viro haud satis prodest pudor.  
 Ter miser es, uxorem si egenus duxeris.  
 De uxore ita age, uti filij bene audiant.

IANI ANTSII

Quod ferre vires non queunt, ne onus subi.  
 Mulierum ocelli pharetra, lachrymæ tela sunt.  
 Feras timebis, at homines multo magis.  
 Tranquillitas ubi adest, procellas prospice.  
 Si corrigas, peccasse sæpe profuit.  
 Tristes taciturnos vita, ut alta flumina.  
 Sis comis hospiti, abeunti non sis moræ.  
 Ad vultum heri se comparat seruus bonus.  
 Nil maius in rebus homine est, si mens adest.  
 Cuius pudendum sit, ne cogita quidem.  
 Oculis voluptatis ministris impera.  
 Ne te opprimat dolor, omnia tempus corrigit.  
 Vltro boni ad bonorum cuncta conuiuia.  
 Quum cœperis bene, bene item peregeris.  
 Nil iureiurando æquitati inimicius.  
 Inuidiam amici, & consilium inimici caue.  
 Ita aurum homines, ut implicant laquei alites.  
 Quam soluit æuam, habenda num fœlicitas?  
 Parabile est, natura quod desiderat.  
 Fœlicitas, sub rege degere optimo, est.  
 Qui corpori studet nimis, negligit animum.  
 Egestas certissima comes est inertia.  
 Incuria est opulentie dulcis soror.  
 Habet qui amicos, non qui opes, is diues est.  
 Durum cur est, ut polypum tunde flagris.  
 Componere mentem, ne ira consilium abigat.  
 Virtus quum habetur, sola possidentis est.  
 Letale mulsum scorta sunt, fuge si sapis.

Ab sen-



Absentem amicum haud aliter ac presentem ama.  
 Matris loco nouercam habento filij.  
 Exerce semper te, ut quum opus fuerit, queas.  
 Adesto amico, ubi res vocarit, ilico.  
 Letale sibi ipsis robur insipientibus.  
 Laboris haud pigeat, si honestus est labor.  
 Perquire meliora, at retine presentia.  
 Mori beatè, una edocet virtus viros.  
 Labore corpus, discendo animum exerceas.  
 Ad vsq; mortem haud deserit virtus virum.  
 Est ingenii, amorem aut odium in fronte gerere.  
 Constantem amico amicum, amicum fac tibi.  
 Furentem amicum fer, si datum corrige.  
 Fœlix, qui noxæ expers adit leti fores.  
 Imitare facta, quorum amaris gloriam.  
 Non fruitur haeres tertius turpi lucro.  
 Tunc maxime audendum, aspera quum res premunt.  
 Paliurus, idem & pluma torus est mortuo.  
 Diuinus animus morte non corrumpitur.  
 Sit muneri sua gratia, sua sit venus.  
 Letale telum in se retorquet inuidia.  
 Breuis grauisq; esto, quum amicum corrigis.  
 Conuiuia honesta adi, animum oblectans tuum.  
 Non bis datur pubescere, fruere tempore.  
 Aetatis est flos somnium breuissimum.  
 Si cesseris, dum viceris, bis viceris.  
 Non omnibus leto imbres Iuppiter pluit.  
 Rerum omnium est sua satietas mortalibus.

IANI ANYSII

Turpis vita est morte grauior mortalibus.  
 Conare concordare regis moribus.  
 Mores latentes tempus educit foras.  
 Meditare ubi incipis pericula, & caue.  
 Bene facientibus deus fauet bonus.  
 Qui consulit, ne nocte tota dormiat.  
 Persæpe vincit consilium armatas manus.  
 Primo malo ni occurris, te plura obruent.  
 Medicos honora, sæpe si illis indiges.  
 Manum cadenti da, viam monstra libens.  
 Venerare canos, cedeq; senioribus.  
 Caue laborem præmio fraudes suo.  
 Eadem omnibus mens, pauperem excludit foras.  
 Viciositas est hominibus infelicitas.  
 Carendum erit virtute, vel pecunia.  
 Fide ne opibus, quas una nox quit perdere.  
 Quod esse quit, nunquam id fore haud sponde tibi.  
 Quamcumq; sortem dii dedere, hanc perferas.  
 Mortalis omnia esse quis sapiens potest?  
 Vivamus & futura sint cura deis.  
 Vivamus hilares, fata dum vitam ferunt.  
 Pergraue licet, leue sit, quod animus agit libens.  
 Esto Argus erga virgines natas parens.  
 Ne iura naturæ in venere transcendito.  
 Mæchando, teq; filiosq; polluis.  
 Pudor heu perijt, & regnat impudentia.  
 Et quisq; loquitur ore, ita audit auribus.  
 Si ut das, ita accipis, quid improbe quereris?

Bene

Bene institutum os pulchra harmonia est auribus.  
 Audire, nil est surdus, nolentibus.  
 Turpia malorum verba venti differunt.  
 Peccare ne permittit filio parens.  
 Non omnibus placere in omnibus potes.  
 Ne solue hominem, tanta arte quem fecit Deus.  
 Heu quæ invidia, terram invidere mortuo?  
 Nefas retegere quos parens terra occultit.  
 Idem orcus est & pauperi, & pradiuiti.  
 Mortalia communibus sint mortalia.  
 Multo quàm ferrum lingua atrocius ferit.  
 Sunt pulchra dys & hominibus gratissima.  
 Honesta fama tolerabilem inopiam facit.  
 Non ambulatrix admodum mulier placet.  
 Populum, ignem, aquam, cohibere difficillimū est.  
 Quantum potes, fias similis ipsi tibi.  
 Dum non miser sis, omnia facere expedit.  
 Aurum malorum dux, idem vitam necat.  
 Optabile ac certum malum est aurum omnibus.  
 Non arduum est amicum, amicum fallere.  
 Affabilis vel hostibus, bili impera.  
 Ne esto ad manum præceps, sed iram comprime.  
 Per sæpe nolens ira funus efficit.  
 Malam ne inure criminis cuiquam notam.  
 Ne in rebus animum turbidis fors deprimat.  
 Natura cuiq; sua arma tradidit parens.  
 Ex proprio contende semper vivere.  
 Nullum sine labore fit opus à mortalibus.



L N I A N T S I I

Medicina corporis animæ esto puritas.  
 Qui scire cuncta se putat, parum sapit.  
 Stultorum aures verba sapientum non ferunt.  
 Risus solutus index dementis animi est.  
 Homo imperitus detur haud iudex mihi.  
 Quum iusta poscis, Herculem ne hostem time.  
 Quin perditum ducis, semel quod perditum est?  
 Sede ne ad ignem iners cor exedens tuum.  
 Argentum & aurum maxima insidia hominibus.  
 Vterq; fur est, & qui excipit, & qui rapit.  
 Inertem hominem est necesse rapto viuere.  
 Velis modo navigare, spaciosum est mare.  
 Serius, ocys, necesse cunctis est mori.  
 Quanquam melior est causa inopis, iacet tamen.  
 Domesticorum inimicitia grauissima.  
 Tacere ni obfit, aut loqui profit, tace.  
 Bonum minimè bonum est, modum si excesserit.  
 Vita magister est speculum prudentibus.  
 Quum gratia exigitur, beneficium perit.  
 Iniuria vir fortis obliuiscitur.  
 Vt anchora nauem, ita stabilit regnum æquitas.  
 Ne defueris amico ad vsq; aram optimo.  
 Sæpe est finis conuicy infortunium.  
 Sapiunt tyranni congressu sapientium.  
 In se redundat ira sæpe acerbius.  
 Si demis ex voluptate, es ditissimus.  
 Sæpe in furorem vertitur tolerantia.  
 Neq; omnia, neq; omnibus, neq; omni tempore.

Dies bene acta cui instar est longissimi.  
 Pulchrū minime pulchrū est, quum non pulchre egeris.  
 Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet.  
 Sint rara, delectare quæ apprime velis.  
 Pendere de spe merces est grauisſima.  
 Præ quod amarum est animo, dulce est breuiſſimum.  
 Puſilli hominem cordis ultio arguit.  
 Omni harmonia vox est amici dulcior.  
 Qui plurimum prodeſt, obſtq; homini, eſt ho mo.  
 Nulla aſpis æquè atq; ambitio animum necat.  
 Fruſtra ſapiens ſapit, ipſe ſibi ſi non ſapit.  
 Caue aggredi quæ perficere vires negant.  
 Fors varia ſtultum, ratio prudentem regit.  
 Meſura eadem, aut pleniori reddito.  
 Sapientis eſt, multa & præclara dicere.  
 Amittes maxima, minima ſi contempſeris.  
 Semper potentes in pedes recti cadunt.  
 Placant deos dona, at homines deuinciunt.  
 Infeſta crede ut tela, munera hoſtium.  
 Non vnquam quiſquã quicquam, quàm ſe amat magis.  
 Per ſepe egeſtas ducit ad ſapientiam.  
 Armatur ſerò galea ſaucium caput.  
 Vel Herculi fuga eſt honeſta, tempore.  
 Repente factum diuitem, iniuſtum puta.  
 Quod æquo plus intenditur, diſrumpitur.  
 Fortunam ut ars, fortuna item artem ſubleuat.  
 Rariſſimum eſt homo diues, atq; idem bonus.  
 Ne lade quenquam, nam ira ſeneſcit tardius.

Hi vera

IANI ANYSII

Hi vera dicunt, ebrij, fatui, pueri.  
 Partone parcis, ut fruare mortuus?  
 Ut perfruare dulci, amari aliquid feras.  
 Inuisa sepe vita, quibus fors inuidet.  
 Virtute fultus, vel ruat caelum, haud time.  
 Odiosa res, hominem ebrium sobria loqui.  
 Quae tanta virtus iuuerit recondita?  
 Ex consilio bono, bona opera nascitur.  
 Vita malos, ni vis malus quoq; fieri.  
 Quis, qualis est homo, statim honores induant.  
 Oratione hominem aestima, non pallio.  
 Oratio vitae simulacrum continet.  
 Quum lingua aberrat, vera sepe nunciat.  
 Quum extollimus aliena, nostra minus placent.  
 Non fers apes, non mel profecto linneris.  
 Dominam tibi parabis, senex si nupseris.  
 Quisq; in malo alieno, in suo nemo sapit.  
 Ne pollucere quod prestare non queas.  
 Non gratia ad peccandum te vlla flexerit.  
 Per sepe damnum pone succedit dolum.  
 Vitio careto, recta quisquis praecipis.  
 Contempta tempore sepe crescit gloria.  
 Frugalitas viaticum vitae optimum.  
 Non ipsa mors sed aditus ad mortem est grauis.  
 Quae vni accidunt, posse accidere cuius putat.  
 Felicitas mortalibus rarissima.  
 Condimentorum nihil est dulcius fame.  
 Sine mente cani, etati sunt opprobrio.

Sapiens



Sapiens is est, cui nil improuifum accidit.  
 Feciffe gaude, quæ fors inuideat viro.  
 Plus fcire, quam loqui enitere, quisquis fapis.  
 Natura modica, libido in immenfum cupit.  
 Erumna nulla est fortis quam non perferat.  
 Amicitia est breuiffima inter difpares.  
 Incendium est amoris ira amantibus.  
 Quæ fors fert, quàm quæ ftultitia, ledunt minus.  
 Quæ olet lucernam, ea olet papyrus optime.  
 Concordia inter coniuges fuauiffima.  
 Impune peccans omnium est miferimus.  
 Caue in deum aut verbo aut opera deliqueris.

F I N I S.

TIGVRI, APVD ANDREAM GESNE-  
 rum F. & Rodolphum Vuiffenbachium.  
 Anno M. D. LIII.



